Quæſt. LVII. An Procurator Generalis ciuitatis, vel villæ, qui alias dicitur Syndicus, poſſit eſſe conductor Macelli, hoc eſt, *Obligado de las carnicerias, o de otras obligaciones publicas de mantenimientos de la Republica.*

In l. 4. tit. 5. lib. 7.

Quæſt. LVIII. An præconia in locatione, & conductione rerum ciuitatum, oppidorum, & populorum huius Regni, ſingulis nouem diebus danda ſint.

In eadem l. 4.

Quæſt. LIX. An [illegible]publica, concilium, vel fiſcus Regius facta locatione ſuorum redditu um poſſit agere inſolidum pro mercede deputata contra ſocios conductorum, quos ipſi in conductione prædiorum in ſocios poſtea admiſerunt, ſeu nominauerunt.

In l. 11. tit. 7. lib. 7.

Quæſt. LX. An non obſtante prædicta l. 11. qua cauetur: *Que la juſticia, y Regidores no puedan dar tierras, ſin preceder licencia Real para ello*, poſſint Rectores aliquo caſu dare aliquas terras.

Index quæſtionum practicarum ex aliquibus legibus præcedentium librorum.

Quæſt. LXI. An triticum, & ceteræ merces, quibus per leges Regias certum pretium taxatum eſt tempore ingentis neceſſitatis, poſſint vendi propria auctoritate ſecure in conſcientia vltra illud pretium taxatum.

Quæſt. LXII. An dominus frumenti poſſit ſecure in foro conſcientiæ exigere iura portationis: *Por las leguas del pan de ſus rentas, que le cueſta cada fanega de pan pueſta en ſu caſa, aunque ſe lo traygan ſus renteros por condicion del contrato.*

In l. 1. & 2. tit. 8. lib. 1. noua collect.

Quæſt. LXIII. An iudices Conſeruatores Apoſtolici conceſſi religioſis, poſſint iure debitores eorundem ex cauſſa ciuili compellere, atque cenſuris cogere ad ſolutionem debitorum ad inſtantiam Prælatorum, fratrum, & conuentuum ipſorum, necne.

In eaſdem ll. 1. & 2. tit. 8. lib. 1.

Quæſt. LXIV. An loca regularia, & ſimilia quæ iuxta Concilium Tridentinum Conſeruatorem eligere poſſunt, auctoritate Apoſtolica conueniri poſſint coram iudice ordinario Eccleſiaſtico, vel coram ſuo Conſeruatore conueniendi ſint.

In l. 1. & 2. tit. 2. de las arras, lib. 3. fori.

Quæſt. LXV. An mulier tranſiens ad ſecundas nuptias teneatur reſeruare arrhas prioris mariti filiis illius matrimonij.

In eadem l. 1. tit. 2. lib. 3. fori.

Quæſt. LXVI. An ſponſus, vel maritus nomine dotis, & in dotem poſſit promittere ſponſæ, vel vxori vltra decimam partem ſuorum bonorum, & an valida ſit huiuſmodi promiſſio.

Quæſt. LXVII. An admittatur moræ purgatio attento iure canonico, eiuſq; æquitate in diſpoſitione iurata, & vbi alias non poterat mora purgari.

Quæſt. LXVIII. An mulier poſtquam ſemel agnouit bona quæſita, ſeu perlucrata conſtante matrimonio poſſit poſtea pœnitere, & reuocare acceptationem, lucrorum a ſe factam prætextu multitudinis debitorum, poſtea apparentium abſtinendo ſe a prædictis bonis, eaq; renuntiando.

Quæſt. LXIX. An beneficio reſtitutionis in integrum res cum fructibus ſit reſtituenda.

Quæſt. LXX. An reſtitutio in integrum competat pro modica læſione.

Ad l. 4. tit. 5. lib. 7.

Quæſt. LXXI. An ſubhaſtans res Reipubl. vel proprias voce præconij omnibus conducere, vel emere volentibus intra certum terminum, obligetur ad locandum, vel vendendum comparentibus intra eundem terminum, & offerentibus certum pretium.

Quæſt. LXXII. An clauſula codicillaris appoſita in teſtamento fratris, in quo fuit turpis perſona inſtituta, operetur, quod ab inteſtato intelligatur relicta hereditas heredi ſcripto per fideicommiſſum, rupto teſtamento per querelam fratris, vel ſororis, vtrinq; coniuncti, vel conſanguinei ex parte patris.

Quæſt. LXXIII. An filius ſpurius dicatur turpis, & infamis perſona ad hoc, vt inſtitutus heres a fratre ſtantibus aliis fratribus, vtrinq; coniunctis, vel conſanguineis poſſint hi querelare teſtamentum fratris inſtituentis prædictum ſpurium.

PRAC-

PRACTICARVM QVÆSTIONVM CIRCA LEGES REGIAS HISPANIÆ, PRIMÆ PARTIS NOVÆ COLlectionis Regiæ, Clariſſimi Iuriſconſulti Doctoris Ioannis Gutierrez, Præbendæ literariæ (vulgo Doctoral nuncupatæ) almæ Eccleſiæ Ciuitatenſis Canonici.

LIBER QVARTVS.

QVÆSTIO PRIMA.

SVMMARIA.

1 Milites armati: *An attento iure Regio ſint liberi, ac immunes*, de pagar todos peches y moneda forera, *necne? & numeris ſequentibus eligitur, & probatur pars affirmatiua, num. 7.*

2 *Requiſita ad hoc, vt milites armati gaudeant, ſuis militiis, & num. 3. quomodo hoc ſit intelligendum.*

4 *Lex noua generalis non corrigit caſus exceptos atque ſpeciales leges Veteris.*

5 *L. 1. huius tituli primi lib. 6. Nouæ Collectionis Regiæ expenditur pro parte affirmatiua.*

6 *L. 2. eiuſdem tituli expenditur pro eadem ſententia affirmatiua.*

7 *Sub num. 6. Milites armati ſufficit*, que va y an a ſeruir, quando ſe ofrezca ocaſion, ſin que puntualmente mantengam cauallos, *vt receptum eſt in Regia Curia*, de los hijos dalgo *Pintia.*

8 *Ratio proœmialis generalis attendi debet, niſi lex ipſa ſe declaret, atque exponat, vt in caſu l. 4. tituli primi lib. 6. Nouæ Recollectionis.*

9 *Rex poteſt immunitatem, libertatem, & excuſationem alicui concedere a tributis gratioſe, vel ob ſeruitia, vel rogitu alterius, imo, & a monetis, & numeris ſequentibus, quomodo intelligatur.*

10 *Rex licet liberet aliquem ab omni tributo nihilominus is tenebitur ad ſoluendam monetam, niſi nominatim eam deſignauerit, a qua eum immunem facit, nec tunc perpetuo a ſolutione eius liber erit, ſed tantum pro tempore vitæ illius Regis, qui gratiam, ſiue huiuſmodi priuilegium eidem conceſſerit, niſi in eo dicatur, quod in perpetuum ipſum liberat a ſolutione prædictæ monetæ.*

11 *Fidalgus, ac proinde liber, & immunis a contributionibus, & moneta forera, poteſt quis a Rege effici, & quomodo hoc intelligendum.*

In l. 1. 2. 3. & 4. tit. 1. lib. 6. Nouæ Collect. Reg.

QVÆSTIO I.

QVÆRO † pro intellectu *l. 1. 2. 3. & 4. tit. 1. li. 6. Nouæ Collect. Reg.* An attento 1
hoc iure Regio, *los Caualleros armados*, ſint liberi, ac immunes, *de pagar todos pechos, y moneda forera*, necne? Et videtur primo pars negatiua vera (quando ipſi ſua origine erant plebeii, & tributarii) ex hac noſtra l. 1. ibi: *Mas que pagaſſen en todos qualeſquier pechos, aßi Reales, como Concejales, ſegun que antes que fueſſen armados Caualleros lo ſolian pagar, no embargante qualeſquier cartas, y alualaes que ſobre ello ouieſſen dado*, & iterum ibi: *Excepto en los dichos pechos.*

Secundo, † quia etiam ſi eadem l. 1. poſtea in deci- 2
ſione requirat ad hoc, vt prædicti milites armati gaudeant ſuis militiis, *que ſean tenudos de tener continuamente cauallos, y armas para ſeruir al Rey en las guerras, y que el cauallo ſea de valor con que pueda ſeruir, y el arnes cumplido en que aya hojas, o platas* & alia in hac l. contenta, *y que de otra guiſa no puedan gozar de la Caualleria, ni de los priuilegios della, y que los hijos que ouieren auido antes de la Caualleria, no gozen de la exempcion, y priuilegios della, ſino los hijos que ouieren deſpues de la dicha Caualleria, con la meſma carga, y no otros, ni de otra guiſa.* † Hoc tamen reſpectu aliarum præro- 3
gatiuarum, atque priuilegiorum militibus conceſſorum præterquam tributorum videtur neceſſario intelligendum, *Conforme a lo precediente de la miſma ley en que ſe refiere la pregmatica del Rey don Iuan, publicada en la cuidad de Toledo, anno 1442. en que expreſſamente ſe mado*; ne alias detur correctio ipſius per ſecundam partem noſtræ l. cum in hac ſecunda parte nihil de immunitate a tributis expreſſe, & in indiuiduo decidatur, ſed generaliter de libertate, & immunitate dictarum militiarum: Ergo intelligamus hoc iuxta ſuperiorem partem eiuſdem l. ita vt ſpeciei exceptæ in principio legis non derogatur per generalitatem ſubſequentem, ne ſcilicet inducamus correctionem, † cum lex noua generalis minime corri- 4
gat caſus exceptos, atque ſpeciales legis veteris, iuxta l. ſciendum iuncta glo. ibi, vbi communiter DD. notant *ff. qui ſatis d. cog.* & in *l. 3. C. de ſilentiar. lib. 12. verbo Decurionibus* comuniter approbatam: ſimilis recte inſpecta,

in l. hac conſultiſſima, in principio, gloſ. 3. C. qui teſtam. facer. poſſ. Bart. in l. ſed & poſteriores, & ibi Ioan. Oroſci num. 12. ff. de legibus, & in l. 1. num. 33. ff. de conſt. Princip. poſt Iaſ. ibi, num. 16. Mencha. de ſucceſſion. creat. §. 3. numer. 10. D. Couarr. in rubr. de teſtam. 2. part. num. 19. Mexia in l. Regia Tolet. in 6. fundamento. 2. partis, num. 18. cum ſeqq.

5 Nihilominus † tamen pars affirmatiua probata videtur ex eadem l. 1. ibi: *Auia armado muchos Caualleros que eran pecheros, y que auian conſeguido las dichas Caualle rias, por eſcuſarſe de pechar, que mandaſſe no gozaſſen de la tal libertad*; iuncta deciſione, ibi: *El qual en las dichas Cortes de Zamora mando, y nos aora ordenamos, y mandamos, que todos aquellos que fueſſen armados Caualleros, por el o por nos, o por nueſtro mandado, para gozar de las tales Cauallerias ſean tenudos, &c.* Expendo verba narratiua præcedentia, ibi: *Por ſe eſcuſar de pechar, que mandaſſe, que no gozaſſen de la tal libertad, ſaluo, aquellos que continuamente mantuuieſſen cauallos y armas*; iuncta prædict. deciſione dum dicit: *Para gozar de las tales Cauallerias*: Ergo, *reſpeto de no pechar han de gozar de las tales Cauallerias, hablando como va hablando de no pechar.*

Secundo, hæc pars deciditur atque expreſſe probatur in leg 2. huiuſmet tituli vbi præcipitur, *que los dichos Caualleros armados para que puedan gozar de la dicha Caualleria, guardando las coſas contenidas en la dicha* l. precedente, *no ſolo de no pagar monedas, mas de todos qualeſquier pechos, pedidos, y repartimientos Reales, y de los Concejos donde viuieren, aunque antes fueſſen, y ouieſſen ſido pecheros, o hijos de pecheros, tanto que viuan en oficio de Caualleros, y de armas, y fizieren alarde ſegun manda la ley del quaderno de las monedas, y no viuan en oficios baxos, y no nobles: ſaluo que paguen en aquellas coſas que los hijosdalgo deuen pechar, y contribuir: porque en aquellas han de pagar como los hijosdalgo*, & poſtea l. 3. ſequens declarat præcedentem, *como ſe entiende viuir por armas, y cauallo, y quales oficios ſon viles, y baxos en el propoſito*, & in terminis ita tenet, & late probat Burgos *de paz conſi. 45.* per totum loquens in priuilegio Regis Catholici, conceſſo anno Domini 1476 cuidam, quo illum militem fecit, eumque, & ſuos deſcendentes ab omni contributione immunes fecit, etiam monetæ foreræ, vbi late agit de intellectu dictarũ legum, & etiam *conſ. 46.*

6 Obſeruandum † tamen erit iuxta praxim dictarum legum, nempe circa requiſita d. l. 2. *De mantener continuamente los Caualleros armados cauallos, y armas conuenientes para poder ſeruir en la guerra*, nempe, quod Pintiæ in Regia Curia, *de los hijosdalgo*, receptum eſt, *que baſte que vayan a ſeruir, quando ſe ofrezca ocaſion, ſin que puntualmente mantengan cauallo y aſſi ay acuerdo hecho de ello*, teſte Ioan. Garſia *de nobilitate gloſ. 1. § 1. num. 59. & gloſ. 2. num. 15.* vbi adducit prædictam conſultationem, quam refert D. Azeuedo *in præſent. l. 1. num. 77. cum ſequentib.*

7 Quid † tenendum? Prior pars, & ſic affirmatiua hodie proculdubio eſt obſeruanda per text. expreſſum nouiorem eiuſdem Regis Ioannis II. *in l. 4. huius titul. 1. lib. 6. Noua Collectionis Regiæ, in verſ. Dezimos*, ibi: *Qualeſquiera que eran pecheros, e hijos de pecheros que fueron armados Caualleros de diez y ocho annos atras, o fueren de aqui a delante, que pechen, y paguen, y contribuyan en todos los pedidos, y monedas, y otras qualeſquier derramas, con los otros pecheros de las ciudades, y villas, lugares donde morarẽ, no embargante la dicha Caualleria y los priuilegios, y exempciones della, ni qualeſquier leyes, y ordenamientos, ni cartas, ni priuilegios que haſta aqui tengan, ni tuuieren, o ganaren de aqui adelante aunque ſean dados, &c. Ca nos las reuocamos, y caſſamos, y anulamos y damos por ningunas, y de ningun valor, en quanto atanne a los dichos pechos, como coſa que tiende en noxa, y danno del bien publico de nueſtros Reynos*, & in principio lex illa reddit aliam rationem, *porque no ſeria razon, ni de juſticia ſe deue tolerar, que aquellos que ſon pecheros, y no ſon nacidos, ni criados en el oficio de la Caualleria, ni auiendolo vſado, ni acoſtumbrado, ni ſeyendo habiles, y capazes, expertos, ni experimentados en el negocio militar, y hecho de Caualleria, no cabiendo en ellos la tal dignidad, gozen de los priuilegios, y libertades, e immunidades, y franquezas de la dicha Caualleria*, & ita per hanc l. limitatur *l. 1. ſupra hoc titulo* ſecundum noſtrates *in d. l. 1. num. 71.* præcipue Humadam *in l. 23. gloſ. 1. numer. 4. titul. 21. part. 2.*

Sed † circa intellectum huius l. duo ſunt conſideranda: Primum, quod licet ratio prædicta prooemialis generalis ſit, & iuxta eius generalitatem deberet alias iure quoque extendi eius diſpoſitio, ex traditis a nobis ſupra, *lib. 3. Practic. quæſt. 17. num. 88. cum ſequentibus*: attamen hoc in noſtra ſpecie noſtræ legis locum minime habet, quia ipſamet in ſua deciſione ſe declarat, atque exponit, ibi: *En quanto atanne a los dichos pechos, como coſa que tiende en noxa, y danno dal bien publico de nueſtros Reynos*, ſicque in tributis omnibus, atque ipſorum reſpectu tantum leges præcedentes huius tituli per hanc noſtram leg. 4. nouiorem, eiuſdem tamẽ auctoris, corriguntur; quo ſit, vt quo ad alia priuilegia, libertates, & immunitates, *de los Caualleros armados*, hæc l. 4. non corrigat prædictas leges anteriores, ſed imo ipſæ illæſæ, atque obſeruandæ maneant: *Como es para aſiar, y deſſafiar, y reptar, y hazer los otros autos, y gozar de todas las otras franquezas priuilegios, y gracias, y exempciones, que ſegun derecho, y leyes deſtos Reynos los dichos Caualleros armados, pueden, y deuen gozar*, vt in l. huius tituli in verſiculo. *Y con eſta limitation.* 8

Secundum † quod, non obſtante deciſione noſtræ l. 4. Rex poteſt libertatem, immunitatem, & excuſationem alicui concedere a tributis gratioſe, vel ob ſeruitia, vel rogitu alterius. † Imo, & a monetis, nam licet eum liberet ab omni tributo, nihilominus tenebitur ad ſoluendam monetam, niſi nominatim eam deſignauerit, a qua eum immunem facit, nec tunc perpetuo a ſolutione eius liber erit, ſed tantum pro tempore vitæ illius Regis, qui gratiam, ſiue huiuſmodi priuilegium eidem conceſſerit, niſi in eo dicatur, quod in perpetuum ipſum liberat a ſolutione prædictæ monetæ. ita expreſſe diſponit *l. 10. titul. 18. part. 3.* per quam legem ita tenet late agens Otalora *de nobilitat. 4. part. princip. cap. 1. num. 8.* Et obtinuit in ſuo caſu Burgos de Paz *d. conſil. 45. num. 11. & per totum conſilium*: hocque non eſt contrarium noſtræ l. 4. ipſa enim loquitur, *En los Caualleros armados*: nos vero in hac ſecunda obſeruatione minime, ſed in priuilegio immunitatis a Rege conceſſo a tributis, & moneta forera, ex aliqua cauſſa rationabili, puta ob benemerita, & ſeruitia, quo caſu non procedit lex noſtra 4. vt bene iure probat Burgos de Paz *dict. conſi. 45. numer. 3. 18. & 19.* Nam nocent præterea dictæ obſeruationi verba dict. l. 4. ibi: *No embargante la dicha Caualleria, y los priuilegios, y exempciones de ella*; quæ videntur priuilegia quoque comprehendere: loquuntur namque, & procedunt in priuilegiis, & exemtionibus ratione prædictæ militiæ armatę conceſſis, & ſic in conſequentiam eius: ſecus vero in priuilegiis, & in exemtionibus a tributis, & moneta forera principaliter abſq; prædicta militia ob benemerita, vel ſeruitia a Rege conceſſis, de quibus loquitur dict. l. 10. partitæ, ſicque caſus ſunt diuerſi, vt etiam aduertit Burgos de Paz *vbi ſupra num. 6.* Nil mirum ergo ſi diuerſa iuris diſpoſitio in vno quoque ſit introducta ex diuerſitate rationis. 9 10

De perpetuitate autem dicti priuilegii, quia leges noſtræ videntur inter ſe in hoc contrariæ, ac diſſidentes, nempe dictæ lex *10. & 34. & l. 42. titul. 18. part. 3. & l. 4. titul. 26. part.* 2. videndi ſunt late hac de re agentes, Gregor. Lopez *in d. l. 10. in gloſ. De aquel Rey*, & Ioann. Garſi. *de nobilitat. gloſ. 1 §. 1. numer. 7. cum ſequentibus.*

Ex ſu-

Ex ſuperioribus deducitur, poſſe quem priuilegio ex cauſſa (nempe ob ſeruitia, vel benemerita) a Rege effici fidalgum, ac proinde liberum, & immunem a contributionibus, & moneta forera, eſſeque obſeruandum huiuſmodi priuilegium iuxta tenorem ipſius, iuncta iuris diſpoſitione, hoc eſt, *dict. l. 10.* Partitæ cum ſimilibus: *Porque diuerſa coſa es Cauallero armado por priuilegio, y hidalgo de priuilegio*, imo, *El Cauallero armado por priuilegio mucho menos tiene de nobleza, y honra, que el hijodalgo de ſangre, y aun menos que el que es hidalgo de priuilegio*: Plenius enim prouidetur per priuilegium nobilitatis, quam per priuilegium armatæ militiæ, vt ex pluribus probat Otalora *vbi ſupra, num. 8.* & in terminis prædictam deductionem probat *l. 2. titul. 27. part. 2.* & tenet Bart. & ibi ceteri Doctores *in l. 1. in 9. column. C. de dignit. libr. 12.* in expoſitione diffinitionis, & cum aliis Otalora *4. part. cap. 1. num. 1. cum ſequentibus*, probatur etiam in l. 2. huius tituli, ibi: *Y en tal caſo puedan gozar, no ſolo de no pagar monedas, mas de otros qualeſquier pechos, y pedidos, &c.* Sed melius *in l. 6. titul. 27. part. 2.* ibi: *Puedeles dar honra de hijosdalgo a los que no lo fueren por linea*, & ibi gloſ. ait, quod iſtud poteſt Rex facere ſine cauſſa, & per eam bene probat noſtram deductionem Ioann. Garſia *de nobilitat. gloſ. 1. §. 1. num. 50.* & ante eum latiſſime Mencha. *de ſucceſſion. creat. § 30. num. 29. cum ſequentibus.* Eandem concluſionem probat Dominic. a Soto *de iuſticia, & iur. lib. 3. quæſt. 6. art. vltim. colum. fin. verſic. quin vero*, dicens, poſſe Regem, vrgente Regni neceſſitate, vendere huiuſmodi honores, ſi tamen duo caueantur: primum ne adiunctam habeant iuſtitiæ functionem, aut adminiſtrationem aliam, aut gubernationem: mox ne id fiat in aliorum iniuriam, ita ne tributum, quo vnus leuatur, onerentur reliqui oppidani, ſed excipiatur a ſumma, quod oppidum ſoluit, cuius moderationem ad literam ſequitur nouiſſime Emanuel Rodriguez *in ſua ſumma de caſos de concientia 2. tomo cap. 73. concluſ. 18. & vltima*: neſcio tamen an in praxi ſit admiſſa, cum per eam videatur quodammodo derogari liberæ poteſtati Regi a iure conceſſæ.

SVMMARIA.

1 *Intellectus, & concordia l. 4. & 5. huius tituli 1. lib. 6. & num. 13.*
2 *Militia multiplex eſt in noſtris Regnis.*
2 *Princeps poteſt creare militem plebeium.*
3 *Nobilitas an requiratur ad militiam concedendam iure communi, & Regio.*
4 Cauallero de eſpuela dorada ſe preſume ſer hidalgo.
5 Caualleria de eſpuela dorada, con que ſolenidad ſe dio al principio, *& num. 6.* La forma que deſpues aca ſe ha vſado.
7 *Militiam de per ſe non eſſe dignitatem, fallit in militia deaurata.*
8 *Milites quomodo olim creabantur, & ornabantur.*
8 *Milites aurati, & cruciferi, an gaudeant priuilegiis vere militum.*
9 Caualleros armados, *quibus gaudeant priuilegiis.*
10. Caualleros pardos quien ſean, *& quibus gaudeant priuilegiis.*
11 *Regii auditores cognoſcunt de militia equitum armatorum, ſicut cognoſcunt de militia*, los Caualleros pardos.
12 Caualleros de alarde, o de premia, o guerra quantioſos, *ad quid teneantur.*
14 *Militia equitum armatorum quomodo concedatur.*

In eadem l. 4. & 5.

QVÆSTIO II.

12 QVÆRO † ſecundo, de intellectu, & concordia *l. 4. cum 5. hoc eodem titul. 1. libr. 6. Noua Collectionis Regiæ?* Videntur enim inter ſe contrariæ nimis, atque repugnantes, lex enim quarta, vt vidimus diſponit, *que no ſe armen Caualleros de aqui adelante hombres pecheros, y que los que fueren armados de diez y ocho annos atras, y de ay adelante pechen, ſin embargo de qualeſquier cartas en contrario dadas*; Lex vero quinta ſtatim ſequens præcipit, *que ninguno ſe arme Cauallero por albala, ni carta, ſaluo por la mano del Rey, y no de otro alguno, y que ſea el que lo merezca, y que quepa en el la Orden, y la dignidad de la Caualleria, y que el tal vele las armas con la ſolenidad que las leyes de eſtos nueſtros Reynos mandan, y que entonces pueda gozar, y goze de los priuilegios de la Caualleria, y no en otra manera.*

Primo, videtur dicendum, vt lex quarta procedat quo ad tributa, lex vero quinta, quo ad cetera priuilegia militiæ, nam cum lex quinta ſit generalis, nec de tributis loquatur, & lex præcedens contrarium ſpecialiter in tributis diſponat, eam non comprehendit, vt dicebamus in quæſtione præcedenti: hæc tamen concordia vera non eſt.

Ideo † ſecunda concordia ſit, diſtinguendo, multiplicem eſſe militiam apud nos Regnicolas: *La primera es de aquellos que llamamos Caualleros, como ſon perſonas nobles, y principales, que juntamente con la buena ſangre tienen patrimonio, y hazienda, o ſon deſcendientes de nobles, y ricas familias, aunque ellos por ſus perſonas ſean pobres: y eſtos tales fueron al principio elegidos por Caualleros, y llamados hijosdalgo: porque demas de la buena ſangre, los buſcauan con algo, como lo dize la* l. 2. titulo 21. partita. *2. y a eſtos miſmos llaman algunos Caualleros de eſpuela dorada*, ſecundum Otalora *de nobilitat. 4. part. cap. 1. numer. 6. & 8.* & Doctor Azeuedo *in rubrica huius titul. 1. numer. 2.* 2

La ſegunda es, la que hazen los Reyes de Eſpanna nueſtros Sennoris, que llaman de eſpuela dorada, que eſta cae ſobre hidalguia de ſangre, y no ſe puede dar ſino a quien la merece, expreſſa *l. 2. titulo 21. & l. 13. & 14. eodem titulo, part. 2.* † Licet alias Princeps plebeium poſſit creare militem, cum ipſe ſit qui nobilitat, vt cum Bart. & legibus Regiis probat Gregor. Lopez *in dict. l. 2. in gloſ. De buen linage*, vbi quod de iure communi non requirebatur ad militiam, quod quis eſſet de genere nobili ſecundum Ioannem de Platea *in leg. vnica C. negot. milit. libro. 12.* ſed hodie iure noſtro Regio ad hanc militiam requiritur nobilitas, vt probant dictæ leges Regiæ. † Ex quibus, *Qualquier Cauallero de eſpuela dorada ſe preſume ſer hidalgo*, quam præſumtionem in ſpecie noſtra late iure comprobat Ioann. Garſia *de nobilitat. gloſ. 1. § 1. numer. 52.* vbi quod ita in praxi fuit obtentum, & Doctor Azeuedo *in leg. 1. numer. 7. ſupra hoc titulo.* 3 4

† *Eſta Caualleria ſe dio al principio conciertas ſolenidades de velar las armas, y con pezcoçada, y con calçar las eſpuelas doradas: de eſta manera la recibio el Cid Ruy Diaz en el Altar de Santiago: y en el meſmo Altar ſe armo Cauallero el Rey don Alonſo el Onzeno con la meſma ſolenidad, como ſe dize en ſu hiſtoria, capitulo ciento y tres, el qual armo atros muchos Caualleres deſta manera, como ſe quenta en aquella ſu hiſtoria, capitulo ciento, y quatro, y ciento y cinco, y lo refiere largamente Iuan Garcia en el lugar arriba citado.* † *Y alli en el numero cinquenta y tres, pone otra forma que deſpues aca ſe ha vſado en eſto, y reſuelue, que eſte primero genero de Caualleria es hidalguia perpetua, y natural, y verdadera, y que no ſe reſtringe a vna, ni a dos, ni a tres generaciones como la del Doctoramiento, y que en ella* habent locum omnia, quæ de vera nobilitate ſcripta ſunt iure communi antiquo: idem ſentit, ac tenet ex eiſdem legibus part. Otalora *vbi ſupra, numer. 6.* & denique Humada *in l. 1. titul. 21. part. 2. gloſ. 6. numer. 2.* vbi quod in Hiſpania dignitate iſta non deco- 5 6

tantur, niſi viri nobiles ex vtroque parente ſint, & iſta 7 militia indubitanter dicitur dignitas. † Sicque in ea limitatur magis communis ſententia Doctorum, quæ iure communi habet, militiam de per ſe non eſſe dignitatem, quam ibi in principio illius gloſſæ refert idem auctor: iure namque noſtro Regio non procedit hæc communis ſe[ntentia] in hac militia deaurata, ſecundum Didacum Pe[rez] *in l. 7. titulo 1. libro 4. Ordinament. colum. 1355. per text.* [...] & Ignati. Salzed. *in additionibus ad regul. 463. Bernard.* [...]

8 Huc † pert[in]ere videtur, quod inquit Petrus Gregor. *in 2. part. Syntag. iur. vniuerſ. lib. 19. de perſonis cap. 3. num. 27.* nempe, quod milites donabantur corniculis argenteis in ſignum ſtrenuitatis: vnde corniculari, item torquibus aureis, & cingulo, & balthéo ob egregia facta, quæ ornamenta hodie verſa ſunt in calcaria, & auri præcincturam: hinc cingulo donari dicimus more priſco, gladio percuti, & auratum fieri equitem, & illuſtris cinguli dignitate præcingi, vt apud Caſſiodorum *variarum 3.* ad Colloſſum Comitem, legimus, & nobiles prædicti non conſequantur militiam hanc, niſi tantum, quo ad maiores honores, & alias nobilitatis preeminentias, & ad exercendos ipſius militiæ actus, quod patet ex eo: quod Otalora *de nobilitat. 4. part. cap. 1. numer. 6. & ad fin. pagin. 276.* refert dicens: *Que los miſmos Reyes, Principes, y infantes, y ricos hombres recibian eſta Orden, de Caualleria, como parece por las Coronicas, y por la ley 36. titul. 2. part. 3.* ibi: *O quando hizieſſe el Rey ſu hijo Cauallero.* Similiter de equitibus auratis meminit primus omnium (vt ipſe dicit) Franciſcus Philelphus *libro epiſtolarum 24. epiſtola 1. ad Albert. Pariſium,* vt refert Tiraquel. *de nobilitate, cap. 8. num. 13.* Et inquit Humad. *in l. 23. gloſ. 1. numer. 2. titul. 21. part. 2. fol. 173. column. 1.* quod hi milites auratæ militiæ, vel aurati, vere milites non ſunt, quia in caſtris non degunt, & ob hoc priuilegiis militum non gaudent, ſecundum Petrum de Antib. qui eos vocat milites vanos, quibus aſſimilantur milites cruciferi, qui arma, & militiam penitus ignorant, & ideo priuantur priuilegiis, quæ militibus ratione veræ militiæ conceduntur, vt ſunt illa, quæ in teſtando conceſſa ſunt, & circa iudicia tractanda: gaudent tamen priuilegiis conceſſis dignitati, nempe reuerentiæ, ne talias vel collectas ſoluant, vt ceteri plebeii.

9 *La † tercera Caualleria, es la que ſe daua, y da a pecheros, que ſe arman Caualleros por les hazer bien, y merced: deſta hablan las leyes precedentes deſte titulo:* nempe la l. 1. 2. 3. & 4. *como por ella parece literalmente: eſtos Caualleros armadas pro priuilegio, aunque tienen, y gozan de muchos priuilegios, y honras contenidos en ſus cartas, y priuilegios, pero no de no pechar, porque ſi antes de ſer armados Caualleros eran pecheros, tambien lo han de ſer deſpues,* vt in l. 4. huius tituli diximus in quæſtione præcedenti.

Eſta Caualleria tambien ſe da a hidalgos, como a pecheros: pero en duda no ſe preſume, que el que ſe arma Cauallero ſea hidalgo, como ſe preſume que lo es el Cauallero de eſpuela dorada, de que hablamos arriba en la primera manera de militia, ni que no lo ſea. Sed potius in hoc genere militiæ probatio nobilitatis remanet in diſpoſitione iuris communis: & ſic aſſerenti ſe eſſe nobilem, incumbit onus probandi, vt docent noſtri Hiſpani, *Otalora dict. 4. part. capit. 1. numer. 7. & 8. Ioann. Garſia dict. gloſ. 1. §. 1. numer. 55. & 56. Azeuedo in dict. l. 1. numer. 13.*

10 *La † quarta manera de Caualleria, pone Iuan Garcia,* vbi ſupra, *de los Caualleros Pardos a fuer de Leon, que refiere* Otalora *de nobilitate. 4. part. capit. 1. numer. 7. Adonde pone la forma en que ſe concede, y dize Iuan Garcia, que eſta Caualleria prueua pecheria por preſuncion de derecho: porque pues libra de los cargos a que los hijosdalgo no ſon obligados, bien ſe colige, que el que la recibe no lo es, y que eſta ſolo pertenece a Oydores, y no a Alcaldes de hijosdalgo, por conſiſtir en aquel priuilegio;* Sed meo iudicio hæc militia, *De Caualleros Pardos;* eadem eſt cum tertia præcedenti, nempe, *De Caualleros armados,* prout rectius cenſet Otalora *dict. capit. 1. numer. 7.* & cum eo Azeuedo *in dict. l. 1. numer. 14. in verſiculo ſecundo.* † Vnde ſicut de militia, *De los Caualleros Par-* 11 *dos,* cognoſcunt Regii Auditores, non vero iudices nobilitatis naturalis, hoc eſt, ſanguinis, vt prædiximus, ita, & de illa militum armatorum (cum vtraque ſit eadem) & in priuilegio conſiſtens, ita idem Ioann. Garſia *numer. 55.* & Azeuedo *in dict. l. 1. numer. 13. & 14.*

Alia † eſt militia, nempe, *la de los Caualleros de a-* 12 *larde, o de premia, o de guerra quantioſos,* qui differunt a præcedentibus, & de iſtis militibus, *De alarde,* loquitur *l. 10. cum ſequentibus,* hoc titulo. *Y eſtos ſon obligados a hazer alarde en cada vn anno dos vezes, y a tener armas, y cauallo de cierto valor, y a yr a las guerras quando fueren llamados, ſegun lo diſpone la dicha* ley 10. cum ſequentibus, & hi ſolum gaudent immunitate, *quanto a las monedas, y a fiar, y deſſafiar,* vt patet ex pragmaticis Regiis de hoc agentibus, & declarat late Otalora eorum originem, *dict. capit. 1. numero 9. per totum,* vbi refert forum de Leon, cuius etiam meminit Ioann. Garſia *dict. numero 56.* de his etiam militibus agit Burgos de Paz *conſilio 46. numer. 9. & 10.* & Azeuedo *in dict. leg. 1. numero 15.* vbi quod hic ordo militum fuit exſtinctus Placentiæ iuſſu Regis noſtri Philippi.

His † militiis ſic diſtinctis, & declaratis, vera con- 13 cordia inter noſtras leges quartam, & quintam eſt, quod lex quarta procedens loquatur de militibus armatis, qui antea erant plebeii, & ſic tributarii, vt patet ex eius ſerie: lex vero quinta de militibus, *De eſpuela dorada, que es la Caualleria que ſe da con informacion de nobleza, e hidalguia de ſangre, y con la ſolenidad de velar las armas:* & ſic intellectæ leges hæ, non ſunt contrariæ, ſed diuerſæ, vt patet ex ſupra dictis: hunc intellectum, & concordiam aſſignant eiſdem, probant atque paſſim profitentur ſcriptores præcitati Hiſpani: lex vero 10. infra eodem loquitur, *De los Caualleros de alarde, o de premia, o guerra, o quantioſos,* vt patet ex eius litera, & contextura.

At quamuis hic intellectus, & concordia conformis ſit, atque conueniat literæ *dict. l. 4.* diuinare tamen videtur, atque aliena a dict. l. 5. nihilominus eam probo, tum quia communis noſtrorum eſt, tum etiam, vt euitemus legum correctionem, atque contrarietatem; denique, quia noſtra lex quinta eidem annuit, dum inquit: *Y ſea tal, que nos entendamos que lo merece, y que cabe en el la Orden, y dignidad de la Caualleria, y que el tal vele las armas con la ſolenidad que las leyes de nueſtros Reynos mandan;* in hoc enim cognoſcimus loqui hanc legem quintam de militibus aureatis, qui alias ſunt nobiles ſanguine, de his enim loquuntur *dict. l. 13. & 14. titulo 21. part. 2.* ad quas ſe refert *dict. l. 5. ibi: Con la ſolenidad que las leyes de nueſtros Reynos hablan;* non vero de militibus armatis, qui alias erant plebeii, & tributarii.

Quamuis † enim Otalora *dict. capit. 1. 4. part. nu-* 14 *mero 7.* exiſtimet, imo affirmet, *que en armar a eſtos Caualleros, quaſi ſe guarda la miſma forma, y ſolenidad que a los otros de eſpuela dorada,* qui ab origine ſunt nobiles, atque fidalgi, de qua *in dict. l. 13. & 14.* hoc tamen verum non eſt, hæc enim militia, *De los Caualleros armados, que ſe da tambien a pecheros, como a hidalgos, ſolamente ſe concede por aluala, o carta, o priuilegio, ſin otra*

ſin otra ſolenidad, actual, ni real, y en ninguna coſa ſe diſtingue de vn priuilegio, y aſſi conocen los Oydores della, y no los Alcaldes de hijos dalgo, por manera, que conſiſte en ſolo vn pergamino en que ſe eſcriue, y en las palabras del, ex text. in capite *porro, de priuilegiis,* Et hæc eſt vera, & eſſentialis differentia inter hæc duo genera militiæ: licet Otalora *vbi ſupra,* aliud velit ſecundum Ioannem Garſiam *vbi ſupra, dict. numer. 55.* Cuius dictum verius fortaſſis cenſet Doctor Azeuedo, *in dict. l. 1. numer. 14.* & probatur ex *l. 6. huius tituli,* ibi: *Con la ſolenidad, y ceremonias qua las nueſtras leyes de Partida diſponen, o ſin ella,* & iterum in fine, ibi: *Aunque no interuengan las ceremonias, y ſolenidades de las leyes de las Partidas;* ſed & eundem intellectum ad noſtram leg. quintam iuuat talis conſideratio, quia cum hæc noſtra l. quinta ſit condita ab eodem Rege Ioanne Secundo, quo & præcedentes huius tituli, & in eiſdem Curiis, quinimo, & in ipſiſmet petitionibus, nempe vigeſima tertia, anni milleſimi quatuorcenteſimi quadrageſimi ſecundi, & trigeſima nona anni quadrageſimi ſeptimi, quibus & lex 2. eiuſdem tituli, ipſæ non inſeruntur a compilatoribus huius Nouæ Collectionis Regiæ, iuſſu Regis factæ, & ab eo confirmatæ in vna eademque lege, ſed imo tanquam de diuerſis agentes diuiduntur, atque pro differentibus ponuntur, & lex noſtra quinta collocatur poſt finitam materiam, *De los Caualleros armados,* de quæſtionibus *in l. 1. 2. 3. & 4.* præcedentibus huius tituli, tanquam loquens de aliis militibus, nempe, *De los de eſpuela dorada,* de quibus in *dicta. l. 13. & 14. titul. 21. partit. 2.*

SVMMARIA.

1 *Nobiles ſanguine vtentes officiis vilibus, vtrum amittant ſuam nobilitatem, & priuilegia, necne?*

2 *Nobilis exercens officium vile, artem mechanicam, vel mercaturam, amittit priuilegia nobilitatis.*

3 *L. 3. huius tituli lib. 6. Noua Collectionis, tantum procedit in nobilitate accidentali, non vero in naturali.*

Priuilegia non amittuntur per vſum artis mechanicæ, aut officii vilis, cum iura ſua ſanguinis a maioribus prouenientia renuntiari minime valent.

4 *Conductor, vel Collector tributorum aliorumq; iurium Regalium, poteſt incarcerari ob debitum fiſci Regii, non obſtante ſua nobilitate.*

5 *Facilius pereunt ea quæ competunt iure ſpeciali, quam quæ iure communi ſubſiſtunt.*

6 *Rex concedens priuilegia, poteſt eadem auferre vtentibus vilibus officiis, & quomodo hoc ſit intelligendum.*

7 *Quando agitur de perdendo priuilegio, dicitur agi de lucro amittendo: quando vero agitur de perdendo iure communi, dicitur agi de damno.*

In eadem. l. 3.

1 *QVAESTIO III.*

QVÆRO tertio, circa eandem l. tertiam *huius tituli 1. lib. 6. Noua Collectio. Regiæ,* dum enumerat officia vilia, quibus vtentes milites armati amittunt priuilegia militiæ, nempe, *De ſaſtres, pellejeros, carpinteros, pedreros, herreros, tundidores, barberos, eſpicieros, recatones, çapateros:* an nobiles ſanguine vtentes prædictis officiis, vel artibus vilibus, amittant ſuam nobilitatem naturalem eiuſque priuilegia? Et videtur prima facie dicendum, eam amittere, tum quia ars 2 mechanica, & officia vilia magis contradicunt nobilitati naturali, quam ex priuilegio conceſſæ. Sed hæc amittitur, vt *in hac l. 3.* Ergo, & illa. † Tum etiam, quia iure etiam communi nobilis officium vile exercens, artem mechanicam vel mercaturam amittit priuilegia nobilitatis, *vt in l. vnic. C. negotiat. milit. lib. 12. & in l. nobiliores. C. de comerc. & mercat. & in l. milites, la ſegunda, cum l. ſequent. C. de re milit. lib. 12.* & hanc partem tenent, ac probant plurimi quos congeſſi. *lib. 3. Practic. Quæſtion. quæſt. 13. numer. 96.* vbi numero ſequenti ref[ero] hoc limitare, & intelligere Petrum Plaça *de delict. 1. tomo. cap. 1. numer. 10.* quando ipſemet nobilis [per] ſe vtitur huiuſmodi arte officiove vili: ſecus ſi p[er] ſeruos, vel inſtitores, & quod hoc ſequitur Cag[no]lus alios allegans *in l. damnum dat. ff. de regul. iur.* & de eo late agit Tiraquel *de nobilit. cap. 27. num. 7. cum ſeqq.* 3

Nihilominus tamen contraria ſententia verior eſt, & tenenda, imo quod lex noſtra tantum procedat, & locum habeat in nobilitate accidentali ex priuilegio, in qua vere loquitur, non vero in nobilitate naturali deriuata a progenitoribus: hæc enim, nec eius priuilegia amittuntur per vſum, & exercitium artis mechanicæ, aut officii vilis: cum iura ſanguinis a maioribus prouenientia renuntiari minime valeant. *l. iura ſanguinis. ff. de regul. iur. & l. iura ſanguinis. ff. de pact.* præſertim in opprobrium totius ordinis nobilium: argumento *capit. ſi diligenti, de foro compe.* & eorum, quæ late reſoluimus *in noſtro tractatu de Iuramento Confirmatorio. 1. part. cap. 16. num. 37. cum ſequentibus,* in illa quæſtione, *an nobilis, hoc eſt, fidalgus poſſit renuntiare priuilegio, quod habet, ne pro debito ciuili incarceretur,* ibi namque *numero. 47. cum ſequentibus,* cum veriori, & tenenda ſententia in iudicando, & conſulendo, probauimus partem negatiuam. Quare in terminis noſtræ quæſtionis principalis, hanc opinionem tenet Auendaño *in ſuo dictionario, verbo Cauallero,* & cum eo aliis nos eandem late probauimus *libro. 1. Practicar. Quæſtion. quæſt. 137. numer. 18. & libr. 3. quæſtion. 13. numer. 98. cum ſequentibus,* vbi quod ita eſt receptum in Hiſpania, & nouiſſime poſt nos eandem ſequitur D. Azeued. *ſupra hac l. 3. numer. 11. & 12.* 4

Limitatur tamen hæc pars in nobili conductore, aut collectore tributorum, aliorumque iurium Regalium, is enim ob debitum huiuſmodi fiſci capi, atque in carcere detineri poteſt, *vt in l. 4. titul. 2. infra hoc lib. 6.* de cuius ratione, atque intellectu late egimus *d. quæſt. 13. num. 101. cum ſequentibus,* ſic limitantes præfatam noſtram, & ceterorum ſententiam: idemque nunc tenemus, & affirmamus.

Non obeſt primum fundamentum contrariæ partis, quoniam ipſum non ſibi ſatis, conſtat, quinpo- 5 tius contrarium verius videtur, † facilius enim pereunt, ea, quæ competunt iure ſpeciali, quam quæ iure communi ſubſiſtunt. *l. eius militis §. militia miſſus ff. de milit. teſt.* 6

Præterea, Regia Maieſtas concedens ſimilia priuilegia, potuit ea aufferre officiis vilibus vtentibus, quia potuit a principio non concedere, cum hoc penderet a ſua liberalitate, gratia, atque mera voluntate: ergo, & illis modum formam, & conditionem adiicere, ita vt ſeruantibus talia requiſita, & non aliis proſint, vt expreſſe facit *d. l. 3.*

Denique facit *gloſ. in l. 2. §. 1. verbo Conſenſus in fin. ff.* 7 *de iud.* quam ibi notat Decius, vbi habetur, quod quando agitur de perdendo priuilegio, dicitur agi de amittendo lucrum: quando vero agitur de perdendo iure communi, dicitur agi de damno: Ergo ſequitur, quod facilius poterit aufferri lucrum, quam inferri damnum. *l. fin. C. de codicil. ita Ripa in l. filius familias. §. diui. num. 28. ff. de Leg. 1.*

Non obſtat, & ſecundum, quia iura ibi allegata diuerſa ratione fulciuntur, loquuntur enim in militibus armatæ militiæ, quibus iura priuilegia concedunt,

vt militent, & a vilibus negotiationibus ſe abſtineant, vtpote contrariis ſuæ militiæ, atque officio, a quo per prædicta officia vilia, & artes mechanicas auerterentur: nos agimus de nobilitate ſanguinis naturali a progenitoribus proueniente: hæc autem amitti non poteſt ex vſu, & exercit[illegible] prædictorum officiorum vilium, quandoquidem no[illegible] priuilegio, ſed a iure antiquo, & naturali nobilitate [illegible]nem trahat, quæ renuntiatione tacita aut exp[illegible]olli non poteſt, nec etiam priuilegium ea ratione [illegible]npetens, vtpote naturali iure radicatum, & totum ordinem nobilitatis ſanguinis reſpiciens.

SVMMARIVM.

1. *L. 3. titul. 1. lib. 6. Nouæ Collectionis Regiæ, an procedat in militibus armatis exercentibus alia officia vilia in ea l. 9. numeratis?*

In eadem l. 3.

QVAESTIO. IV.

1 QVæro quarto, † circa eandem l. 3. *an procedat in militibus armatis exercentibus alia officia vilia, in hac l. non enumerata?* Et videtur minime proceſſuram in eis, quia cum ſit pœnalis, vltra caſus ab ea enumeratos extendi non debet, *vt in reg. odia. de reg. iur. in 6.* Secundo, quia priuatio non habet locum, niſi in caſibus a iure expreſſis, glo. communiter approbata *in cap. fi. de iur. patro. vt* alibi probauimus, & in terminis hanc partem tenet Ioan. Gar. *de nobilit. glo. 1. §. 1. num. 56.* dicens, *que ſon los oficios ſolamente enumerados, y referidos en nueſtra l. 3. y no otros aunque parezcan ſemejantes.*

Nihilominus tamen contraria ſententia eſt verior, & tenenda in iudicando, & conſulendo, proculdubio ex litera expreſſa noſtræ l. ibi: *Y no vſen de oficios baxos, y viles*; vbi poſtquam expreſſerat prædicta officia vilia in ſpecie, generaliter requirit, *que para que eſtos, Caualleros armados gozen de los priuilegios (ſumando, y recoligendo como en compendio, y epilogo, lo que largamente auia requerido arriba) dize aora, que han de tener cauallo, y armas, y no vſar de oficios baxos, y viles: y aſsi no guardando eſtas coſas no han de gozar de la franqueza de Caualleria: luego la razon, y anima de eſta ley conſiſte, en que no vſen de oficios viles, aora ſean de los en ella expreſſados, o otros, ſiendo viles, y baxos,* quia exempla non arctant regulam. *l. damni infecti ſtipulatio. 30. ad fin. ff. de damn. infect. cum ſimil.* Ex quo ceſſant fundamenta contraria. Et ita rectius ſenſit hanc noſtram opinionem Doctor Azeuedo *in præſenti num. 9.* carpens in hoc Ioan. Garſiam, qui contrariam probauit.

SVMMARIA.

1. *Milites armati an gaudeant priuilegiis conceſsis nobilibus ſanguinis per leges Hiſpaniæ necne? Eligitur pars affirmatiua, num. 5. extenditur num. 15. & 16.*
2. *Priuilegia, quæ contra ius commune ſunt, debent ſtricte interpretari, maxime in præiudicium tertii.*
3. *Milites noſtri temporis cum non ſint proprie milites torqueri poſſunt.*
4. *Milites veri, qui in ſeruitio Regis non morantur, non gaudent priuilegiis conceſsis militibus.*
5. *Milites iure communi attento, non poſſunt torqueri, nec pro debito ciuili incarcerari, & num. 11.*
6. *Milites, qui vacant armis pro ſuo ſuperiore, gaudent priuilegiis militum.*
7. *Solennitas conſueta ſeruari in aſſumtione militiæ, etiam ſi deſierit eſſe in vſu, eius tamen effectus remanſit.*
8. *Decuriones, & in dignitate conſtituti, non debent torqueri.*
9. *Conſuetudo, quod prædicti Decuriones, & conſtituti in dignitate torqueantur, non valet.*
10. *Decurionum confeſsio in tortura facta, non valet.*
11. *Decuriones non debent incarcerari pro debito ciuili.*
12. *Milites armati gaudent omnibus immunitatibus, priuilegiis, gratiis, & exemtionibus a Regibus huius Regni conceſsis, præterquam in tributis.*
13. Armas, y cauallos de los Caualleros, y hijosdalgo, *non poſſunt capi propter debitum, vel fideiuſsionem: fallit in debito Fiſci Regii.*
14. *Equites armati gaudent priuilegiis militiæ, quamuis non interueniant ſolemnitates, de quibus in legibus Partitarum.*
16. *Milites armati non poſſunt verberari, nec furca ſuſpendi, nec aliis ignominioſis pœnis vexari pro delictis.*
17. *Milites armati gaudent priuilegio carceris ſeparati.*
18. *Milites armati admittendi ſunt ad officia nobilibus conceſſa.*

In eaſdem ll.

QVAESTIO V.

1 QVæro quinto, † circa eaſdem leges Regias huius tituli primi: *An milites armati de quibus in l. 1. 2. 3. & 4. huius tituli gaudeant priuilegiis nobilibus ſanguinis conceſſis per leges Hiſpaniæ, videlicet, vt non poſsint pro debitis ciuilibus in carcerem detrudi, nec detineri, nec pro criminibus torqueri, & præterea, quod exſecutio fieri non poſsit in armis, equis, & domibus ſuæ continuæ habitationis, necne?* Et videtur dicendum, eos huiuſmodi priuilegiis minime gaudere, quia leges Regiæ de hoc agentes, ſolum loquuntur in fidalgis Caſtellæ, atque in eorum fauorem: Vnde cum de noſtris militibus armatis in ſpecie non loquantur, videtur ad eos non eſſe extendendas, ſed quod hic caſus tanquam omiſſus remaneat ſub diſpoſitione iuris communis, *argumento l. commodiſsime cum ſimilibus ff. de lib. & poſth.* vt minus quam poſſibile ſit lædatur ius commune, *argumēt. l. 2. C. de noxal.* Ergo idē a fortiori dicēdū venit in
2 priuilegiis. † Quæ quidē ſtricte ſunt interpretāda, quia ſunt contra ius commune præcipue in præiudiciū tertii, vt ſunt huiuſmodi militiæ armatæ: ſecus ſi eſſent præiudicialia Principi tantum concedenti, quia tunc eſſent amplianda, vt probat plures allegans Franciſcus Beccius *conſil. 28. num. 6. Iaſon in l. beneficium, numer. 19. & 32. ff. de conſtit. Princip.* vbi etiam limitat quatenus priuilegium derogaret publicæ vtilitati, & etiam quando concederetur, non motu proprio, ſed ad inſtantiam partis, prout in hac ſpecie omnia hæc concurrere videntur. Ergo, &c.

3 Secundo, † quia milites noſtri temporis cum non ſint propie milites, torquentur, *Cynus in l. 3. C. ad l. Iul. maieſt. quem, & alios refert ad hoc Gregori. Lopez in l. 2. in gloſ. Caualleros, titul. 30. part. 7.*

4 Tertio, † quia etiam veri milites, qui in Curia, nec in ſeruitio Regis moram agunt, ſed in ſuis ciuitatibus, oppidis, ſeu ruribus, non gaudent priuilegiis conceſſis militibus. *l. 49. ibi: Fueras ende, &c.* a contrario ſenſu *titul. 5. part. 5.* & probat late iure communi Didac. Perez *in l. 1. titul. 1. lib. 4. Ordin. colum. 13. 8. cum ſequentibus* & prius Auendañ. *in ſuo diction. verbo, Cauallero.*

5 His nihilo ſecius † non obſtantibus, contrariam ſententiam veriorem, & tenendam eſſe in praxi cenſeo, atque libentiſſime amplector. Primo, quia iure communi milites non poſſunt torqueri, nec pro debito ciuili incarcerari, cum non teneantur vltra quod facere poſſint, imo, eis ſunt relinquenda arma, *vt in l. milites, & in l. diuo Marco C. de quæſtion. in l. ſeueram. C. de dignit. libr. 10. l. 2. titul. 30. part. 7. ibi: Nin Cauallero, & in l. 24. verſicul. Otro ſi, titul. 21. part. 2.* † Et quamuis Doctores noſtri late diſputent, *an priuilegia conceſſa a iure militibus, habeant locum, & competant nobilibus noſtri temporis,* & partem negatiuam teneant, quos ſupra adduxi pro ſecundo, & tertio fundamentis cōtrariæ in noſtra quæſtione principalis communis, tamen reſolutio, & recepta concluſio in propoſito eſt, quod milites qui vacant armis pro ſuo ſuperiore, gaudeant priuilegio militum, *argum. l. vnica, ff.*
7 *de bonor. poſſeſſ. ex teſtam. milit.* † Licet enim ordo, & ſolemnitas in aſſumtione militiæ in vſu eſſe deſierit, effectus tamen remanſit. *l. decreto. C. ex quibus cauſ. infam. irrog.* ita concludunt Bald. & alii *in l. 1. C. de iur. & fact. igno.* & Alexand. *in l. Centurio poſt princ. ff. de vulg. & pup.* ſequitur, & teſtatur, ita communiter concludi Gregor. Lopez *in l. 23. in gloſſ. En muchas maneras, tit. 21. part. 2.* & refert Meneſ. *in d. l. 1. num. 12. idem Gregor. latius in l. 49. in gloſſ. de Cauallero, in verſic. vnde conclude, tit. 5. part. 5.* vbi refert plures doctrinas, quæ in propoſito conducunt: ſed milites armati tenentur habere equos, & arma ad ſeruiēdum Regi noſtro in bellis. Et alias non gaudent priuilegiis ſibi conceſſis, *vt in l. 1. 2. & 3. huius tituli:* ergo eis competunt prædicta priuilegia, & quamuis in praxi receptum ſit, ſufficere paratos eſſe ire ad bellum, quoties vocati fuerint, licet equos, & arma continuo actualiter non habeant, *vt deduximus ſupra, quæſt. 1. num. 6.* attamen idem, hoc eſt, ac ſi vacarent armis, quandoquidem præſto eſſe debent ire ad bellum pro ſuo ſuperiore, atque in ipſius ſeruitium: licet enim deſierit eſſe in vſu prædictum requiſitum atque ſolemnitas, effectus tamen eius remanſit: obligatio nempe eundi ad bellum pro ſeruitio Regis quoties occaſio ſe obtulerit: itaque obligatio illa, ſiue habitus ſuccedit in locum actus, & ideo eius naturam debet ſapere iure ſubrogationis: ſi enim milites armati haberent equos, & arma actualiter, prout tenentur iuxta rigorem earundem legum Regiarum, tenentur habere, nulli dubium, quin prædictis priuilegiis gauderent, vt reſpectu immunitatis tributorum fatetur, Auendaño *in ſuo dictionario, verbo Cauallero, in verſic. item milites armati per noſtras leges huius tituli* (quamuis contrarium ſit hodie in his deciſum per l. 4. huiuſmet tituli, vt prædiximus *in dict. quæſt. 1. num. 7.* Reſpectu vero ceterorum priuilegiorum, patet, quia tenentur viuere in officio militum, & armorum, *y hazer alarde ſegun manda la ley del quaderno de las monedas,* vt cauetur expreſſe in l. 2. huius tituli: ergo cum vacent armis pro ſuo ſuperiore, gaudent priuilegio militum, iuxta prædictam reſolutionem: *Eſte alarde que eſtan obligados a hazer los Caualleros armados, es ſegun la forma del quaderno de las monedas,* vt ibi dicitur, & cum non habeamus illum librum, raro, vel nunquam, *los tales Caualleros hazen alarde, ſino es donde ay vſo y coſtumbre de hazerle: pero los que propriamente ſon Caualleros de alarde, o de premia, neceſſariamente la han de hazer.* Ita Otalor. *de nobilitat. 4. part. principali. cap. 1. num. 9. in verſicul. Otro ſi muy poderoſo Sennor,* ibi: *Milites vero armati:* eandem communem ſententiam, & reſolutionem prædictam, cum Roman. *conſil. 306. in præſenti Antibol. & aliis,* & præcipue cum Gregor. Lopez *in locis præcitatis* ſequitur, ac probat Didacus Perez in *l. 1. titul. 1. lib. 4. Ordinam. colum. 1380. in verſic. ita procedunt,* dicens, quod milites noſtri temporis creati a Rege, vel ab alio, qui habet ſuam commiſſionem, nempe a Prorege Aragonum, Valentiæ ſeu Nauarræ, ſecundum formam, & ritum hodiernum, omiſſis ceremoniis antiquis, quæ non ſunt in vſu, gaudent priuilegiis omnibus conceſſis ratione militiæ, ſi ſunt in bello, vel parati ad illud: ſin autem, nec in habitu nec in actu ſunt præparati, ſed in ruribus, vel ciuitatibus habebunt priuilegia conceſſa militibus, nempe, quod non poſſint torqueri, vel alia huiuſmodi: ergo in terminis habemus intentum, & quod milites armati a Rege gaudeant omnibus militiæ priuilegiis, etiamſi ceremoniæ, & ſolemnitates legum partitarum non interueniant, eſt expreſſum *in l. 6. huius tituli.*

8 Secundo, † eadem noſtra ſententia comprobatur, quia ſic etiam videmus, quod Decuriones, & conſtituti in dignitate non debent torqueri. *l. Milites, & l. Decuriones, C. de quæſtion. l. 2. titul. 30. part. 7.* vbi loquitur: *En los del Conſejo de alguna ciudad, o villa del Rey.* Dueñas late *in Regul. 190. in princip. & ampliatione 9.* Idem in Doctoribus, vt per eum ibi plures allegantem ampliatione 3. Reprobata opinione Gandin. *de quæſtion. & torment. num. 38. folio mihi 188.* dicentis, quod de conſuetudine vtrique torqueantur.

9 Non † enim in hoc valet conſuetudo contraria, vt teſtatur eſſe communem opinionem ex Ludouico Carrerio, plures alios eam tenentes, allegans Dueñas, *vbi ſupra, ampliatione 4.*

10 Adeo, quod † ſi tales torqueantur de facto & confiteantur crimen, huiuſmodi confeſſio non valeret, iuxta gloſſ. *in l. pen. ff. de quæſtionib. Duen. cum aliis vbi ſupra, ampliat. 7. Anton. Gom. de tortura reorum, num. 4. colum. fin. illius numeri, & iterum num. 25. col. 2.*

11 Sic † etiam non debent incarcerari pro debito ciuili, *vt per Duen. vbi ſupra, ampliat. 5.* Ergo cum hi priuilegiati, licet ſanguinis nobilitatem nō habeant, gaudeant prædictis priuilegiis, a fortiori milites armati debēt eiſdem gaudere, cum habeant dignitatem, *iuxta l. 5. hoc tit. 1.* & ſint parati ire ad bellum pro ſuo ſuperiore, & verſentur in exercitio armorum, vt vidimus *ſupra.*

12 Tertio, & † in terminis hæc eadem noſtra ſententia probatur ex *l. 1. hoc tit.* ibi: *Y gozar de todas las otras franquezas, y priuilegios, y gracias, y exempciones que ſegun derecho, y leyes de nueſtros Reynos los dichos Caualleros armados pueden, y deuen gozar excepto en los dichos pechos,* quę exceptio format regulam in contrarium in ceteris omnibus priuilegiis nobilibus competentibus, argum. *l. nam quod liquide. §. fin. ff. de penu legat. & in l. quæſitum, §. denique, in fin. & ibi Bart. ff. eod. tit. cum ſimilib. congeſtis per D. Azeued. in d. l. 1. num. 61.*

14 Quarto allego † aliam l. quaſi expreſſam in propoſito, nempe *l. 9. hoc tit. 1.* cuius litera ita ſe habet: *Mandamos, que porque los Caualleros, y hombres hijoſdalgo eſten apercebidos para quando los ayamos meneſter, que los ſus cauallos, y armas de ſus cuerpos no ſean prendados, ni tomados por alguno, ni ningun deudo, ni fiança que ayan fecho, ni hizieren, ſaluo por los deudos a nos deuidos: y eſto miſmo queremos que ſe eſtienda a todos aquellos que armas, y cauallos mantuuieren, aunque no ſean armados Caualleros.*

13 Quinto, hanc † ſententiam probat l. 6. huius tituli, ibi: *Pero que los Caualleros, aſsi hidalgos, como no hidalgos, que guardaren aquellas coſas que ſe cōtienen en las leyes de nueſtros Reynos, contenidas en eſte titulo, puedan gozar, y gozen de todas las otras honras, y preeminencias, y libertades de la Caualleria, quando por nos, o qualquier de nos fueren armados, aunque no interuengan las ceremonias, y ſolenidades de las leyes de las partidas:* Ecce ergo quomodo lex hæc parificat vtroſque milites quoad fruitionem priuilegiorum: Ergo debet pariformiter determinari. *l. iam hoc iure, cum ſimilib. ff. de vulg. & pupil.* Sed nobiles ſanguine gaudent præd. priuilegiis, *vt in l. 4. infra tit. 2. hoc lib. 6.* vbi late dicemus: Ergo, & milites armati.

Sexto, & vltimo: in ſpecie, & in indiuiduo noſtræ quæſtionis hanc ſententiam, quamuis timidus, probauit Otalora *de nobilitat. 4. part. princ. cap. 1. num. 9. verſicul. poſtremo:* ſed affirmatiue vno tantum verbo Doctor Azeuedo *in dict. l. 1. num. 52.* & ante eum Didac. Perez ſupra citatus poſt Gregori. Lopez, quem refert, eſtque veriſſima, quod ſi in priuilegio id exprimatur, vel dicatur, vt frequenter in priuilegiis aſſeritur. (*Que os ſean guardadas las honras, y franquezas, y libertades, y dignidades que ſe ſuelen guardar, y guardan a los hijosdalgo de ſangre*) vtcumque hæc verba appoſita ſint, res erit abſque dubio, quia in claris non eſt locus coniecturis, nec diſputationi, vt in pro-

poſito inquit Ioan Garſia *de nobil itat. gloſſ. 1. §. 1. num. 50.* vbi quod alias priuilegiatus ſolum obtinebit, quod lege, aut ipſo priuilegio ſit conceſſum, nihilque amplius, cum tenor ipſius, ſit attendendus per text. in cap. porro de priuileg.

15 Ego † vero etiam ſi priuilegium expreſſe non contineat prædictam clauſulam (dummodo contrarium nõ exprimat) adhuc exiſtimo tenendam præfatam noſtram ſententiam affirmatiuam, tam vigore generalitatis verborum priuilegii, ex quam plurimis fundamentis iuridicis, quæ in propriis terminis nobilitatis datiuæ a Principe congerit, idem probans, Menchac. *de ſucceſſio. creat. § 30. n. 294. in princ.* quam etiam propter authoritatem Doctorum eam tenentium ſic ſimpliciter, & indi-
16 ſtincte, quæ eſt iuris cõformis, vt videmus. † Idem, pbo reſpectu pœnæ ignominioſæ, ſcilicet fuſtium, furcæ, & triremium pro delictis imponendæ: nempe, vt ſic vt, Hiſpaniæ nobiles ſanguine non puniuntur, ita nec milites armati eiſdem caſtigentur, ſed pœnis nobilibus ſanguinis imponi ſolitis & debitis.

17 Denique cenſeo priuilegium *l. 11. tit. 2. infra hoc titulo lib. 6.* diſponentis: *Que los hijos dalgo, y Caualleros tengan carcedes apartardas de los que no lo ſon,* ſeruandum eſſe etiam his militibus armatis, de quibus agimus, eiſdem rationibus, & fundamentis.

18 Quinimo, & hi milites armati admittendi ſunt ad officia nobilibus conceſſa ex ſupradictis, & in terminis probauit Pelacz *de maiorat. 1. part. quæſt. 51. num 33.* & Ioan Garſia *de nobilitat gloſſ. 35. num. 3.* & Azeued. *in l. 1. n. 52. ſupra hoc tit. 1. lib. 6. Noua Collect. Reg.*

SVMMARIA.

1 *Vidua, quæ nupta fuit militi armato, an durante viduitate gaudeat priuilegiis, quibus vidua, quæ nobili ſanguinis fuit nupta, ex num. 2. cum ſeqq. eligitur pars affirmatiua.*

2 *Paria ſunt ineſſe alicui qualitatem per naturam, quam per priuilegium.*

3 *Diſpoſitio in caſu vero habet locum in caſu ficto, quando caſus verus, & fictus æquiparantur.*

4 *Vidua relicta officialis domus Regiæ gaudet priuilegiis mariti defuncti, licet eorum filii non gaudeant eiſdem priuilegiis.*

5 *L. 1. tit. 2. part. 4. in verſ.* E aun otra fuerça, *& l. 3. tit. 15. partit. 2. in idem citantur.*

6 *Lata fieri debet interpretatio, quando agitur de remuneratione.*

In eaſdem ll. Regias.

QVAESTIO VI.

1 QVÆRO ſexto: *An ſicut vxor vidua, quæ fuit nupta nobilis ſanguinis gaudet priuilegiis mariti defuncti, vt in l. 9. titul. 11. lib. 2. Noua Collecti. Regiæ, ita etiam vidua, quæ nupta fuit militi armato, gaudere etiam debeat eius priuilegiis, durante viduitate?* Et videtur quod non, quia *d. l. 9.* non loquitur in viduis horum militum armatorum, ſed nobilium ſanguinis.

Secundo, quia leges huius noſtri titul. *1. lib. 6. Noua Collect. Reg.* de his militibus armatis loquentes requirunt adhoc, quod ipſimet milites ex priuilegio gaudeant ſuis immunitatibus, quod habeant arma, & equos ad ſeruiendum in bello, quoties opus fuerit, & ſimiliter, quod alia faciant, de quibus in prædictis legibus: at ipſis defunctis, prædicta requiſita verificari non poſſunt: nihilominus contrarium in quæſtione præmiſſa verius, & tenendũ eſt in praxi, quia vidua non gaudet in hac ſpecie priuilegiis mariti ex propria perſona, ſicut nec ignobilis nupta nobili viro, ſed ex pſona mariti prędefuncti in honorem priſtini matrimonii, quia præſumuntur in eodem matrimonio durare, quæ ſententia præterea comprobatur ex doctrina ſingulari Baldi *in l. cum ex ratione per text.* ibi *ff. de excuſatio. tut.* † Vbi tenet 2
paria eſſe ineſſe alicui qualitatem per naturam, ac ineſſe per priuilegium, *idem Bald. in l. ſi filius. ff. ſi cert. petat. Bart. Socin. conſil. 1. num. 10. lib. 1.* & melius idem Socin. *conſil. 260. num. 9. lib 2.* † Vbi deſignat regulam, quod vbi ca- 3
ſus verus, & fictus æquiparantur diſpoſitio in caſu vero locum habet in caſu ficto. *c. ad audientiam, & c. cum dilectus, de cler. non reſ. & in d. l. cum ex ratione,* Greg. Lopez *in l. 3. tit. 21. part. 2. in gloſſ. in verb.* Con villana, & hoc fundamentum late extendit, ac proſequitur plura cumulans Pelacz *vbi ſupr. num. 5.* & Ioan. Gar. alios allegans *de nobil. gloſſ. 1. § 1. num. 42. cum ſeqq. & gloſſ. 35. num 3. & Quintil. Mandoſ. in reg. 3. reſeruat. quæſt. 18. num. 7. & 8.* vbi *num. ſeqq.* ex hoc, & aliis late fundat, quod regula illa procedat etiam in beneficiis familiarium Papæ ex priuilegio: denique noſtra eadem principalis de hac re opinio maxime comprobatur *ex l. 8. titul. 14. hoc lib. 6. Noua Collect. Reg.*

Vbi † licet filii officialium domus Regiæ non gaudeant priuilegio parentum, mulieres tamen illorum vi- 4
duæ relictæ gaudent eorum priuilegiis, quæ lex ſingularis eſt ad noſtrum propoſitum. † Facit etiam *l. 7. tit.* 5
2. part. 4. in verſ. E aun otra fuerça, & l. 3. tit. 15. part. 2. & l. fœmina. ff. de ſenat. & l. cum te, & l. vltim. ibi: Sentiat eius fulgorem. C. de nuptiis. & l. vlt. C. de incolis. lib. 10. ibi: Mulieres honore maritorum erigimus, & l. fin. & ibi DD. C. de priuileg. ſchol. lib. 12. Palat. Rub. in rep. § 31. col. vlt. Burgos de Paz in proœmio legum Tauri, in princ. num. 6. de quo latiſſime Tiraquel. *de nobilit. c. 18. num. 1. cum ſeqq. & in tractatu de cauſſa ceſſant. p. 1. num. 107. text. in cap. ex parte, de foro comp. & c. dilectus de arbitris.* præ maxime quando priuilegium conceſſum fuit marito propter ſeruitia, † quia vbi agitur de 6
remuneratione, lata fieri debet interpretatio *ſecundum Guillerm. de Cugn.* quem ſequitur Alex. *in l. 3. in princip. ff. quod quiſque iur.* quos, & alios referens, ſequitur Pelacz *vbi ſupr. num 34.* mulier enim etiam dicitur ſeruire per maritum, cum ſint vna caro effecti per matrimonium: Ergo cum relicta eſt vidua gaudere debet proculdubio priuilegiis conceſſis viro in vita eius propter ſeruitia, & in propriis terminis hanc noſtram obſeruationem tenet Otalor. *de nobilit. 4. part. c. 8. num. 1. cum ſeqq.* eamque tanquam veram, & æquam indicat Pelacz *vbi ſupr. num. 34.* qui prædicta adducit, & voluit etiam Ioan. Garſia. *d. gloſſ. 1. § 1. num. 44.* dicens, quod eſt æqua opinio, & quod obtinet in viro, & vxore, ſicut in ſola vidua, & quod quotidie obſeruatur, *En lo que toca al priuilegio de los que caſan con las deſcendientes de Antona Garcia,* & eam ſequitur Azeue. *in d. l. 1. num. 93. & 94. hoc tit. 1.* vbi ſe refert etiam dixiſſe *in l. 9. num. 3. cum ſequent. titul. 11. lib. 2. Noua Collect. Reg.*

SVMMARIA.

1 *Fidalgi, ſeu nobiles priuilegio Principis pecunia effecti, ſeu alias, qui antea ſua origine erant plebei, an poſſint eſſe milites, ſeu Commendatarii ordinum Militarium, hoc eſt,* del Abito? *& numeris ſequentibus: eligitur pars affirmatiua, & num. 22. quod procedat poſt factum.*

2 *Nobilitas patrum, & aliorum maiorum requiritur ad habitum Militarium ordinum conſequendum.*

3 *Ciues adoptiui non poſſunt habere officia, quæ ex conſuetudine dantur naturalibus ciuibus.*

4 *Nobiles ex priuilegio non ſunt vere nobiles, natura, & ſanguine, ſicque non ſunt fidalgi vere, & proprie.*

5 *Legitimatus non eſt vere legitimus, ſed arte, conſilio, & beneficio iuris, aut Principis per quandam fictionem.*

6 *Legitimatus ſimilis eſt alchimiæ, vt quod natura non eſt effectum, fiat arte iuuante.*

7 *Legitimatio dicitur imago veritatis.*

8 *Adoptiuus non eſt naturalis.*

9 Legiti-

9 *Legitimati reſpectu nobilitatis ſunt ſicut alchimia, & aurichalcum, videntur enim aurum, & non ſunt.*

10 *Nobiles a Principe effecti dummodo non a Iudæorum, vel Sarracenorum, ſed puro ſanguine deſcendant, poſſunt eſſe Commendatarii.*

11 *Populares tunc vtuntur omnibus honoribus, & priuilegiis, quibus natu nobiles vtuntur, quando ſtatuto cauetur, quod prædicti populares nobilibus exæquantur, & num. 12. declaratur, vt procedat nedum quo ad priuilegia & honores, quæ de præterito competebant nobilibus ſanguinis, ſed etiam quo ad priuilegia, quæ poſtea eiſdem nobilibus natu conceſſa eſſent.*

13 *Priuilegia ſtudii Pariſienſis conceſſa ſtudio Tholoſano per verbum, per omnia, vtetur ſtudium Tholoſanum, quæ poſtea nominatim ſtudio Pariſienſi conceſſa fuerint.*

14 *Forenſis, qui natu ciuis non eſt, ſi per omnia per Principem factus eſt ciuis poteſt eſſe Prior, vel Conſul ciuitatis, vel de Collegio Doctorum, ſicut ciuis originarius, præcipue quando ſtatutum diceret, quod habeantur, & ſint ciues originarii.*

15 *Vicinus alicuius loci ex priuilegio effectus poteſt inſcribi teſtis in teſtamento nuncupatiuo, licet ab oppidanis expreſſe receptus non ſit, neque in loco habitet.*

16 *Nobilis factus per Regem,* de plebeyo, *vel de forenſi, ſeu extero, cuius originarius poteſt eſſe Commendatarius, vel Prior ciuitatis, Conſul, Decurio, Defenſor, Doctor vel Collega.*

17 *Forenſes horum Regnorum quotidie impetrant a Rege noſtro literas naturalitatis ad hoc, vt in eis poſſint obtinere præbendas & beneficia Eccleſiaſtica.*

18 *Nobilis factus per Regem Hiſpaniæ, nobilis erit, non ſolum quoad oppida, & regiones, quæ ipſius Regis ſunt quo ad iuriſdictionem, tam inferiorem, quam ſupremam, ſed etiam in oppidis, & regionibus magiſtri Militum Commendatariorum, &c.*

19 *Iure poſitiuo fieri poteſt, vt quod vno modo re vera factum fuit, alio modo factum fuiſſe videatur, aut fingatur, quo ad omnes iuris, aut facti effectus, etiam minus.*

20 *Ciuilis ratio ciuilia iura perimere poteſt, non vero naturalia.*

21 *Rex non poteſt ſupplere defectus naturales, nec tollere iura ſanguinis, & naturæ.*

22 *Rex habet liberam voluntatem concedendi, vel denegandi inſignia Ordinum militarium, cum non teneatur etiam de rigore iuſtitiæ ea concedere nobilibus, ſed quibus maluerit.*

In eaſdem ll. Regias.

QVÆSTIO VII.

1 QVÆRO 7. circa eaſdem leges Regias: *An fidalgui, ſeu nobiles priuilegio Principis, ſeu Regis noſtri pecunia effecti, ſeu alias, qui antea origine ſua erant plebeii, poſſint eſſe milites ſeu Commendatarii, hoc eſt, del habito, e inſignias de las Ordines militares de Eſpaña, non ſecus quam illi, qui a maioribus ſuis, origine ac ſanguine nobilitatem trahunt, an vero iſthac nobilitas poſitiua, & datiua non ſufficiat, ſed requiratur natiua?* Et videtur quidem prima facie indubia hęc quæ-
2 ſtio pro nobilitate natiua contra datiuam: † Primo ex conſtitutionibus ipſorum militarium Ordinum, inter quas illa potiſſima eſt, requiri nobilitatem naturalem patrum & aliorum maiorum. Itaq; plebeii Commẽdatarii deligi non poſſunt, ſed nobiles ſanguine.

Secundo. Pro hac parte facit optima doctrina Bal.
3 *in l. in vrbe, ff. de ſtatu hominum.* vbi tenet. quod quando ex conſuetudine officia ſunt danda naturalibus ciuibus, non poterunt haberi ciues adoptiui, quia hæc conſtitutio recipit naturam, quam doctrinam adducit Ioan. Gar. *de nobil. gl. 1. § 1. n. 43.* ſed Ordines militares, eorumq; inſignia non dantur niſi nobilibus claro ſanguine natis, vt ex conſtitutionibus patet, quæ reſpiciunt naturam. Ergo aliis quam his dari non poſſunt.

Denique iſti nobiles ex priuilegio vere non ſunt no- 4
biles natura & ſanguine, ſic non ſunt fidalgui vere & proprie, vt patet: at verba ſunt intelligenda naturaliter, *l. fin. C. de his qui ven. ætat. impetr. l. filio quem pater, ff. de lib. & poſthum. l. ex ea parte, §. inſulam, ff. de verb. oblig.* Sed 5
iſti priuilegiati vere & naturaliter non ſunt nobiles: Ergo, &c. ſicuti legitimatus vere non eſt legitimus, ſed arte, conſilio, & beneficio iuris, aut principaliter quandam fictionem, *ſecundum Bald. in l. eam quam, num. 44. & 45. C. de fideicommiſſ. copioſe Tiraquel. de primogenitura q. 34. num. 58.* † Hinc idem Bald. *in c. 1. num. 23. de conſtitut.* le- 6
gitimatum alchimiæ ſimilem dixit, vt quod natura non eſt effectum, fiat arte adiuuante, † & inquit idem Bald. 7
in l. etiam, C. de appellatio. quod legitimatio dicitur imago veritatis, & plura alia in propoſito legitimationis adducit Ioan. Gar. *gl. 21. num. 2. & 3.* † ſic etiam adoptiuus 8
non eſt naturalis ex Bald. *in d. l. in vrbe.* † & ſunt reſpectu 9
nobilitatis ſicut alchimia, & aurichalcum, videntur enim aurum & non ſunt. Tandem videtur ſummo honori militarium Ordinum non parum derogari ſi fidalgui ex priuilegio, qui vere & realiter ſunt plebeii, inſigniis eorum Ordinum, tãquam veri nobiles, condecorarentur, imo & vera nobilitas fictitia commixta confunderetur ac vilipenderetur.

Nihilominus tamen in hac quæſtione tenenda eſt 10
contraria ſententia, imo quod qui tali nobilitate ſeu *hidalguia*, a Principe decorati ſunt (dummodo non a Iudæorum, vel Sarracenorum ſanguine, ſed a puro & candido deſcendant) commendatarii eſſe poſſint, non ſecus quam ſi natu nobiles eſſent: quam ſententiam plurimis fundamentis comprobant recentiores, ex quibus vrgentiora ſummatim deſumam, vt probabilitas huius opinionis in promtu eſſe poſſit omnibus, qui noſtra hæc ſcripta perlegerint.

Primum eſt ex doctrina Bart. *in l. 1. num 3. ff. de leg. 1.* vbi 11
tenet, quod ſtante ſtatuto, quo caueatur, quod populares exæquentur nobilibus; tunc populares vtuntur omnibus honoribus, & priuilegiis, quibus vterentur ipſimet, qui natu nobiles eſſent: quam Bartol. doctrinam ſequitur, & dicit communem Alexand. *ibi num. 9. & 10. Socin. num. 4. Zaſ. colum. fin. in fin.* ſequitur etiam & dicit communem, hos & alios referens Mench. *de ſucceſ. creatione, §. 30. num. 291.* † Quod procedit nedum quoad pri- 12
uilegia, & honores qui de præterito competebant nobilibus ſanguine, ſed etiam, quoad priuilegia, quæ poſtea eiſdem nobilibus natu conceſſa eſſent: adhuc enim his gaudere debent habentes nobilitatem datiuam: vt volunt plerique ex ſupra citatis, † dum tenent, quod
ſi priuilegia ſtudii Pariſienſis ſtudio Tholoſano con- 13
ceſſa fuerint per verbum per omnia, tunc ſtudium Tholoſanum fungetur priuilegiis, quæ poſtea nominatim ſtudio Pariſienſi conceſſa fuerint, & tenent Guiller. de Cugn. & Bald. *in l. omnia. 6. de epiſc. & cler.* & communiter Moderni ſecundum Ripam *in d. l. 1. n. 3. & Mench. vbi ſupr.* † Vbi idem cum alia communi doctrina con-
cludit, eſſe ſtatuto: ne quis eſſe poſſit Prior ciuitatis 14
Conſul, vel de collegio Doctorum, niſi ſit ciuis originarius, tunc enim minime excluderetur ille, qui forenſis natu eſſet, ſi per Principem per omnia factus eſſet ciuis, non ſecus quam ſi natu ciuis eſſet, hoc eſt originarius, præcipue quando ſtatutum diceret: *Habeantur & ſint ciues originarii,* quaſi illa geminatio multũ operetur, remq; expeditiorẽ faciat: quinimo idem reſoluit, etiamſi Princeps dumtaxat, diceret, quod quis habeatur tanquam ciuis, adhuc n. gauderet omnib. honorib. & priuilegiis, quib. funguntur illi, qui ſanguine nobiles ſunt, licet non

adiiceret: *Habeatur & ſit ciuis*, ſecundum Alex. & Iaſ. *in l.ſi Ruffinus, C.de teſtam.militis, Decius conſil. 485. in cauſſa*
14 *gabellæ, num.14.* † quia quoad iſta priuilegia & honores quæ deſcẽdunt a lege poſitiua, vel conſuetudine & moribus hominum, nihil refert, vtrum dicatur quod quis ſit nobilis, an quod pro nobili habeatur: natura enim omnes homines æque ingenuos fecit, *l.vt vim.l.manumiſſiones.ff.de inſt. & iur.* Honores autem, nobilitas & priuilegia aliquibus competentia, a moribus, legibus poſitiuis, vel a Principibus introducta ſunt: vnde nil mirum ſi ab eiſdem Principibus & legibus huiuſmodi honores
15 & priuilegia plebeiis communicari poſſint. † Hinc eſt etiam vt ſi quis priuilegio efficiatur loci vicinus, poterit hic inſcribi teſtis in teſtamẽto nuncupatiuo licet ab oppidanis expreſſe receptus non ſit, neque in loco habitet, vt tenet Bart. *conſ.62. punctus, col.1. & 2. Iaſ. alios allegans in l.ſi is qui pro empt. n.293. cum ſeq. ff. de vſucap. Boer. deciſ. 260. n.33.* quos refert & ſequitur in terminis noſtræ legis Re-
16 giæ Burg. de Paz, *in l.3. Taur. num.517.* † Conſequitur igitur ex ſupradictis, quod is qui per Regem noſtrum de plebeio factus eſſet nobilis, vel de forenſi ſeu extero ciuis originarius, indubitãter poſſet eſſe Præſes, vel Commendatarius, vel Prior ciuitatis, Conſul vel Decurio, vel defenſor Doctor vel Collega, quod quam plurimis paribus latiſſime fulcit Mencha. *d.§ 30. d.num.291. verſic. in*
17 *primis & num.292 cum ſeq.* † Sicut videmus quotidie in praxi deduci a forenſibus horum Regnorum, qui vt in eis poſſint obtinere præbendas & beneficia Eccleſiaſtica impetrant a Rege noſtro literas naturalitatis, quas vulgo vocamus, *Cartas de naturaleza*, vt ſibi non obſint leges huius Regni, prohibentes exteris conferri beneficia Eccleſiaſtica, præbendas & dignitates, atq; ipſaſmet Eccleſias: quibus literis impetratis, indubium eſt, imo obſeruatum, admitti ad prædicta non ſecus quam originatii horum Regnorum.

Hæc autem reſolutio eam difficultatem habere videtur, quod per prædicta priuilegia nobilitatis, vel originis præiudicium inferri videatur vere nobilibus, ac originariis, & ciuibus honorũ Regnorum, quoad honores & priuilegia, tum quia derogari videtur per eam toti ordini nobilium, dum admittitur inter eos, ac eiſdem exæquatur plebeius, imo ordo ipſe confunditur, dum plebeii eidem admiſcentur: tum etiam quia ex prædicta aggregatione & exæquatione ſingulis vere nobilibus præiudicium infertur: quia non ſic ſæpe ad honores vocabuntur, nec ex eis emolumenta conſequentur, ac ſi adæquatio aliorum facta non fuiſſet, vt per Iofred. *conſ. 51.* Imo præmiſſa difficultas plus viget reſpectu immunitatis tributorũ, quia per eam ceteri plebeii magis grauantur: idem reſpectu originariorum & ciuium, cum forenſes, originarii & ciues per Regem efficiuntur, conſiderari poteſt, quoad electionem officiorum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum, prouiſionem, & collationem.

Nihilominus tamen præcedens reſolutio vera eſt, & iure procedit, quoniam ad Regem noſtrum, qui in temporalibus non recognoſcit ſuperiorem, & ſic eſt legiſlator, pertinet, prædictos honores, priuilegia, & exemtiones concedere pro libito ſuo ex plenitudine poteſtatis, quam habet, & eam indubitatam eſſe affirmat, Iuriſconſul. *in l.3. ff. de natal. reſtituend.* quandoquidem (vt modo dicebamus) honores prædicti, & priuilegia a moribus & legibus poſitiuis introducta fuerint: nil mirum ergo ſi lex viua, & ſic Rex eadem aliis concedere poſſit, prout vere poteſt, vt late probauimus ſupra hoc lib. *quæſt. 1. num. 11.* & hæc ſufficiant pro primo fundamento, noſtræ huius principalis ſententiæ *in hac 7. quæſtione principali.*

Secundum, & præcipuum fundamentum huius noſtræ ſententiæ ſumimus ex voluntate Principis concedentis prædictam nobilitatem, cum enim verbis generalibus & vniuerſalibus plebeium nobili adæquauerit, magis eſt; vt quoad omnes iuris effectus qui excogitari poſſint ita nobilis ſit, ac ſi re vera nobilis natus eſſet, vt *in l.2. ff. de natal. reſtit.* ibi. *Hic enim quantum ad totum ius pertinet, &c.* vnde cum in his conceſſionibus Princeps vti ſoleat verbis generaliſſimis, atque ampliſſimis, nõ dubium eſt, quin Principis voluntas ſe extẽdat, quatenus eius poteſtas locum habet: at de eius poteſtate non eſt dubitandum, *vt ſupra probauimus.* Ergo nec de voluntate, cum ei pateat, quod & coadiuuatur ex verbis ſimilibus conceſſionibus apponi ſolitis, nempe: *Que ſe ays auido por hidalgo, bien aſsi como ſi lo fueſſedes de padre, y abuelo, y viſabuelo, que memoria de hombres no fueſſe en contrario.* Item ex illis verbis: *Que en todos ſus Reynos y Señorios goze el tal hijodalgo que de nueuo haze, de todas las gracias, honras, franquezas, y libertades, y preeminencias, y beneficios, penſados, o no penſados que gozan todos demas hijosdalgo de ſangre.* † quo, qui a noſtro Rege Hiſpaniæ no- 18
bilis factus eſt nobilis erit, non ſolum quoad oppida & Regiones, quæ ipſius Regis ſunt, quo ad iuriſdictionem tam inferiorem, quam ſupremam: ſed etiam in oppidis, & Regionibus Magiſtri militum Commendatariorum, non ſecus quam foret in terris ipſius Regis, & aliorum Ducum, Comitum, & Marchionum; quod facilius procedit hodie, cum Rex Hiſpaniæ illorum quoque militum Magiſter ſit, vt late comprobat Mencha. *de ſucceſ. creat. § 30. num. 294. in verſ. 28.*

Solet præterea Princeps dicere: Se homines illos facere nobiles natu, & maiorum ſuorum ſanguine & proſapia: & licet a præterito non ſit potentia, quia quod ſemel factum eſt, infectum fieri non poteſt, *l. in bello. § facti, ff. de captiuis, & poſt reuerſ. & notatur in l. vnica. C. de raptu virgin.* † Iure tamen poſitiuo fieri poteſt, vt 19
quod vno modo re vera factum fuit, alio modo factum fuiſſe videatur, aut fingatur, quoad omnes iuris, aut facti effectus, etiam mixtos, *vt per Bart. & Dd. in l. ſi is qui pro emtore. ff. de vſucap. l. poſtliminii, ff. de cap. & poſtlim. reuer.*

Similiter, & ſi ciuilis ratio ciuilia iura perimere poſ- 20
ſit, non vero naturalia, text. *in § penult. inſtit. de iure natur. gentium & ciui. § minus ergo, inſtitut. de hered. quæ ab inteſt. defer. § fin. inſtit. de legitim. agna. ſucceſ. l. eas cauſſas, ff. de cap. diminut. l. iura ſanguinis, ff. de regul. iur. l. ius agnationis, ff. de pactis, l. 34. titulo vltim. part. 7.* Hoc tamen vltimum intelligitur niſi quoad omnes effectus, qui in iure tantum conſiſtunt, vel etiam tam in iure quam in facto, effectus naturalis obligationis bene poteſt lex ciuilis impedire, vt docet Iaſ. *in l. ſi non ſortem, in princip. num. 3 ff de condit. indeb.* † Quamuis enim Rex non 21
poſſit ſupplere defectus naturales, non tollere iura ſanguinis, & naturæ, quia licet ſit ſupra caput iuris ciuilis, eſt tamen ſub pedibus iuris naturalis, vt dicebat Bald. *in cap. 1. § notandum, quis feud. das e poſſ. Alexand. conſil. 30. num. 5. lib. 5.* & optime Roland. a Valle *conſil. 9. lib. 2.* poteſt tamen concedere effectus, qui conceſſi ſunt a iure ciuili nobilitati, & extendere ad ignobilem, quia hoc faciendo non extendit manus ad naturæ iura, & poteſt eadem ratione eoſdem adimere nobili, eſtque pro hac concluſione elegans, *l. 6. tit. 27. part. 2.* ibi: *Puedeles dar honra de hijosdalgo a los que no lo fueren por linage.* Quam in propoſito cum ſupradictis adducit Ioan. Garſia. *de nobilit. gloſſ. 1. § 1. num. 50.* Ergo fidalgus creatus & factus a Rege, licet antea eſſet plebeius, gaudebit omnibus effectibus veræ ac natiuæ nobilitatis, & conſequenter, *podra alcançar y tener Abitos de las Ordenes y Religiones militares de Eſpaña*, quamuis inſignia hæc non niſi nobilibus ſanguine concedi poſſint, ac debeant ex eorum ordinum conſtitutionibus: & in terminis ita ex profeſſo ſupradictis & aliis quamplurimis fun-

dis fundamentis intrepide probat, tenet, atque defendit hanc ſententiam Mencha. *d. § 30. n. 290. cum ſeqq.* ſequuntur Ioan. Gar. *de nobilit. gloſſ. 1. § 1. n. 50.* & Pelaez *de maior. in 1. p. q. 51. num. 30.* limitantes eam, quando nobilis ex priuilegio deſcendit a generatione Iudæorum, vel Sarracenorum.

22 Non † obſtant fundamenta contraria ſupra adducta pro 1. parte, quoniam ea iam corruunt, ac diluuntur ex adductis pro hac ſecunda, & ita exiſtimo tenendum. Addiderim tamen, reſolutionem noſtram prædictam ex vſu eſſe poſſe magis poſt factum, hoc eſt poſtquam prædicti nobiles ſub prætextu nobilitatis, quam probarunt, indiſtincte conſequuti ſunt a Rege gratiam inſigniorum militarium Ordinum: at poſtea inſurgit contra eos contradictio, eo quod nobilitas probata nõ eſſet natiua, ſed datiua a Rege, tunc enim merito, vt attentis ſupradictis, abſoluendi ſunt, & gaudere debent prædicta gratia, non ſecus ac ſi nobiles ſanguine eſſent: at vero ante factum, ſi conſtet eos nobiles eſſe tantum ex priuilegio Regis, crederem hoc totum a voluntate ipſius, atque dominorum Conſilii ſupremi militarium Ordinum dependere, Rege ipſo conſulto, quando quidem ex parte ſuæ Maieſtatis beneficium hoc ſit gratioſum, & cui voluerit, poterit concedere, vel denegare, cum non teneatur de rigore iuſtitiæ, etiam nobilibus ſanguine, eam gratiam facere, ſed illis, quibus concedere maluerit.

SVMMARIA.

1 *Matrimonium contrahens cum muliere, vel homine nobili ex priuilegio Principis, an ſatiſfaciat diſpoſitioni maioris, vel meliorationis, in qua cauetur, quod ſuccedens in ea contrahat cum generoſa, vel fidalga, & fœmina contrahat cum generoſo, vel fidalgo necne? & nu. 7. ſeqq. fundatur pars affirmatiua, ſed num. 12. cum ſeqq. negatiua probatur, & num. 25. refertur diſtinctio inter has opiniones.*

2 *Conditio ſeu præceptum quo maioratus inſtitutor ſucceſſoribus inhibuit, ne contrahant matrimonium cum aliqua perſona certa & definita, vel cum perſona alicuius familiæ, vel certi generis & qualitatis, validum eſt in iure, adeo vt alias ſucceſſores maioratus ſint eius ſucceſſione priuandi.*

3 *Succeſſor maioratus contrahens matrimonium cum muliere, quæ tempore contractus habita fuit probatiſſimi & nobilis generis, nõ priuatur ſucceſſione maioratus, etiam ſi poſtea appareat, prædictam mulierem eſſe de genere Iudæorum, Sarracenorum, vel conuerſorum.*

4 *Qui cum alio contrahit, tenetur diligenter inquirere, eius conditiones & qualitates, & quomodo hoc intelligatur.*

5 *Prohibitio de non nubendo tali homini, vel ei qui fuerit de genere Iudæorum, Sarracenorum, & conuerſorum, an adimpleatur prima vice, ita quod ſecunda, vel tertia poßit nubere perſona prohibita abſq; priuatione legati, vel maioratus, & num. ſeqq.*

6 *Conditio affirmatiua de Titio nubendo intelligitur adimpleta, quando prima vice Titio nupſerit: non vero ſi ſecunda vice, quia ſi nuberet prima vice alteri, conditio diceretur defecta, ita vt licet, eo mortuo, poſtea nuberet Titio, non reconualeſceret legatum.*

8 *Paria ſunt ineſſe alicui qualitatem per naturam, ac ineſſe per priuilegium.*

9 *Diſpoſitum in caſu vero locum habet in caſu ficto, vbi caſus verus, & fictus æquiparantur.*

10 *Omnis nobilitas a Principe procedit.*

11 *Filius legitimatus eſt vere legitimatus, ſed contrarium. num. 40.*

12 *Stante conditione prohibitiua, & præceptum de non contrahendo matrimonium cum plebeia, vel plebeio, ſed cum nobili, ſi prohibitus contrahat cum nobili, hoc eſt, fidalgo de priuilegio, minime ſatiſfacit voluntati, & conditioni teſtatoris, niſi clare, aut coniecturis conſliterit, quod diſponens aliud voluerit, vt in num. 49.*

13 *Teſtatores qui vincula faciunt, grauando filios, vel filias, nepotes aut alios deſcendentes, ne contrahant matrimonium, niſi cum mulieribus nobilibus, maxime exoptant propriæ familiæ, & generationis augmentum, & conſeruationem, &c.*

14 *Genus ſanguinis emi non poteſt.*

15 *Effectus nobilitatis ſanguinis vendi poſſunt, & acquiri Principis priuilegio, quamuis ipſum genus clari ſanguinis vendi non poßit.*

16 *Nobilis ex progenitoribus magis habetur in Republ. quam ille, qui cum ſua origine plebeius eſt, Princeps ipſum nobilitauit.*

17 *Verba in dubio intelligenda ſunt naturaliter, & non ciuiliter.*

18 *Analogum per ſe ſumtum, ſtat in potiori ſignificato.*

19 *Verba teſtamenti generaliter prolata ex veriſimili mente debent reſtringi.*

20 *Aliud eſt quem eſſe talem, vel haberi pro tali.*

21 *Quando non conſtat de alio quid ſenſerit teſtator, neque de alia veriſimilitudine, ſtandum eſt propriæ ſignificationi verborum.*

22 *Verbum quod communiter poteſt habere plures ſenſus, intelligi debet ſecundum proprium ſignificatum.*

23 *Verbum habens plures ſignificationes proprias, accipi debet in ea ſignificatione, quæ congruit ſubiectæ materiæ.*

24 *Verba teſtatoris debent intelligi ſecundum vulgarem conſuetudinem loquendi, potius quam ſecundum verborum propriam ſignificationem.*

26 *Verba debent intelligi ſecundum conditionem teſtatoris.*

28 *Voluntas teſtatoris inducit formam & conditionem.*

29 *Plenißima fuit indulgentia, quam iura teſtatoribus conceſſerunt.*

30 *Lex vadit pedetentim poſt mentem teſtatoris, ſicut venator poſt leporem.*

31 *Facultas, & libertas, quæ debetur vltimis voluntatibus defunctorum magis accedit iuri naturali, quam ſucceßio filiorum.*

32 *Tempore traditionis rei ſuæ poteſt quis apponere conditiones, præcepta, & grauamina, quæ voluerit, dummodo non ſint iuri contraria.*

33 *Conditiones teſtatoris adimplendæ ſunt in ſpecifica forma, & non ſufficit eas adimplere per æquipollens.*

34 *Verba conditionis intelligenda ſunt ſecundum rigorem ſignificationis, & conceptam formulam, niſi ex mente teſtatoris, vel contrahentis a quo dicta eſt conditio, poſſit ipſa conditio vere adimpleri per æquipollens, ita vt idem ſequatur effectus.*

35 *Conditionis verba ſunt intelligenda ſecundum rigorem ſignificationis, præcipue cum formaliter adimpleri poßit conditio, quia alias ſufficeret, quod virtualiter impleretur ex mente defuncti.*

36 *Princeps poteſt effectus conceſſos nobilitati a iure ciuili, concedere, & extendere ad ignobilem.*

37 *Verba teſtatoris, & legum conditoris eundem recipiunt intellectum quo ad verborum interpretationem, quem verba legis, & n. 38 quomodo hoc intelligatur.*

38 *Verba legis multo facilius extenduntur, quam teſtatoris, præcipue quando per legem viuam extenduntur verba legis.*

39 *Eius eſt interpretari, extendere, ampliare, & limitare, cuius eſt condere.*

41 *Conditor maioratus, vel meliorationis ſi cauerit, quod eius ſucceſſores non contrahant matrimonium cum plebeia, vel plebeio, ſed cum generoſo, vel generoſa, h. eſt nobili, vel* hijodal-

h'jdalgo, &c. *ſi addiderit*, de ſangre, *vel de genere, proculdubio in ſpecie debet impleri ſub pœna priuationis, quia clara eſt voluntas diſponentis: idemque eſt etiam, ſi illud non adiecerit, vt in num.42. quod præcipue procedit, ſi conditor maioratus, vel meliorationis nobilis ſanguine ſit, vt num.43. imo etiam ſi nobilis ſit ex priuilegio, ſi tamen ſub prædicta conditione, aut præcepto diſponat, vt in num.44. idem eſt in plebeio eodem modo diſponente, vt in num.48. quod limitandum, vt in num.49.*

45 *Verba teſtatoris ſecundum eius conditionem, & ſtatum varie pronunciata debent intelligi, vt hic.*

46 *Filius naturalis in dubio, an cenſeatur vocatus ad fideicommiſſum filiis relictum, plura perpendenda ſunt de quibus hic, & num.47.*

Circa eaſdem ll. Regias.

QVÆSTIO VIII.

1 QVÆRO † octauo, circa eaſdem leges, *quid ſi conditor maioratus, vel meliorationis caueat, & diſponat, quod ſuccedens in eo, vel in ea non contrahat matrimonium cum plebeia, ſed cum generoſa, vel fidalga, & ſi fuerit fœmina, cum generoſo, vel fidalgo, an ſatisfaciat diſpoſitioni maioriæ huiuſmodi, vel meliorationis ſuccedens, contrahens matrimonium cum muliere, vel homine nobili ex priuilegio Principis?*

2 Et † pro introductione huius quęſtionis obſeruandum erit, validam iure conditionem, ſeu præceptum, & præcipue obſeruandum, quo maioratus inſtitutor ſucceſſoribus inhibuit, ne cum quadam perſona certa, ac diffinita, vel cum perſona alicuius familiæ, vel certi generis, vel qualitatis matrimonium contrahant, adeo, vt alias ſucceſſores maioratus ſint eius ſucceſſione priuandi, *vt in l.cum ita, & in l.hoc modo. & in l.hoc genus. ff. de condit. & demonſtrat.* ex hoc namque præcepto non dicitur, induci viduitas, cum maioratus ſucceſſor honeſte cum aliis contrahere poſſit, *l.cum ita legatum, in princip. ff. de condit. & demonſtrat. Decius conſil.475. num.24. Barthol. Socin. conſil.35. num.1. volum.1. Emanuel Acoſt. in repetit. l.cum tale §. ſi arbitratu in 5. limitatione, in princip. ff. de condit. & demonſtrat. & probatur Geneſ. 28.* vbi Iſaac pręcepit filio ſuo Iacob, ne acciperet vxorem de generatione Chanaam; eſtque hoc apud nos ſcribentes compertiſſimũ, ita vt nulla quo ad hoc ſupereſſe poſſit dubitando occaſio, ſecundum Doctor. Molin. *de Hiſpan. primogen. lib.2. cap.13. num.28.* dicente, hoc eſſe ſumme notandum ad plures maioratus, quibus cautum eſt, quod ſucceſſores contrahere debeant matrimonium cum perſonis generis vndequaque probatiſſimi, vel nobilibus, nec contrahere poſſint cum perſonis, quæ ex genere Iudæorum, vel Sarracenorum, vel etiam conuerſorum deſcendant; quod etiam affirmat & late probat Pelaez *de maiorat. 1. part. quæſt.51. num.1. & 2.* Et quamuis in hac ſpecie vtile ſit ante contractum matrimonii iudicialiter inquirere de genere mulierum, cum quibus contrahere volunt ſucceſſores, & de qualitatibus illarum ampliſſimas probationes ad perpetuam rei memoriam, coram iudice illius loci a quo mulieris origo pendebat: attamen probare non poſſumus huiuſmodi nimiam, & extra ordinariam diligentiam, ne ex ea, vel dolus præſumatur, vel ſucceſſoribus occaſio litium præſtetur, cum ad hoc vt huiuſmodi probationes iudiciales validæ eſſent, debuiſſent prius citare proximiores ſucceſſores, qui hac cauſſa ſibi oblata longas lites iure, vel iniuria introducerent, atque eas dilatarent, ne forſan matrimonium contrahere volens conſequatur intentum, & pręterea matrimonii libertas per indirectum impediretur, vt recte cenſuit D. Molin. *vbi ſupr. num.34.* illud addens: conueniens quidem eſſe, vt maioratus ſucceſſor extra iudicium diligentem inquiſitionem qualitatum mulieris faciat, ita vt, vel ipſe nõ circumueniatur, vel quamuis hoc ſibi acciderit, poſſit de huiuſmodi diligentiis iudicialiter conſtare, quãdo id in iudicium deductum fuerit.

3 Præſertim, ſimiliter † cum qua maioratus ſucceſſor, in ſpecie de qua agimus, matrimonium contraxit, communiter probatiſſimi, ſeu nobilis generis tempore contractus matrimonii habita ſit, ſeu probabiliter alias eius defectus ignorari potuit, eoque tempore ſucceſſor ipſe ad id ſciendũ debitam diligentiam adhibuit, poſtea autem compertum ſit, eam mulierem vere ex genere Iudæorum, Sarracenorum, vel conuerſorum procedere, vel ignobilem, atque plebeiam eſſe, dicendum erit, ſucceſſorem huiuſmodi, non eſſe maioratus ſucceſſu priuandum, argumento text. *in l. ſi quis pater. ff. ad Macedonia.* vbi ſi quis mutuam pecuniam dederit filio familias, qui communi æſtimatione, ſeu iuris habebatur, habebit actionem aduerſus illum, ac ſi vere ſui iuris exſtitiſſet, ceſſatque tunc Macedonianum Senatus Conſultum.

4 Nec † dicatur, quod qui cum alio cõtrahit, eius conditiones, & qualitates tenetur diligenter inquirere, *vt in l.qui cum alio. ff. de reg. iur.* Hoc namque ex illius textus deciſione fallit, quando ignorantia eſſet multum probabilis, & iuſta, *arg. l.miles. §. mulier. ff. ad leg. Iul. de adult. & l. Barbarius Philippus. ff. de offic. Præſid.* Ex quibus iuribus in ſpecie id probant gloſſ. *in d. l. qui cum alio, Alex. Iaſ. Deci. & Cagnol. relati per Molin. vbi ſupr. num.30.* vbi *num.31.* dicit, hoc eſſe intelligendum, quãdo quis fuit in hac communi reputatione nobilitatis, vel generis puritatis per decennium: reputatio namque minoris temporis ad id non ſufficeret, prout dixit Bald. *in l.2. num.5. C. ſi aduerſus rem iudic.* vbi ſic limitat, & intelligit *d. l. ſi quis pater.* & cetera iura ſupra adducta; idem Bald. *in l. ſi poſt mortem, in fin. princip. ff. de adoptio. & Iaſ. in l. eſt receptum, num.10. ff. de iuriſdict. omn. iudic.* ſed contrarium, imo quod reputatio minoris temporis in ſpecie d. l. ſi quis pater, ſufficiat, late probauit Decius *in l. ſi emancipati, num.4. C. de collat.* id quod probabile videtur Molin. *vbi ſupr. num.32.* dummodo actus, ex quibus, quaſi poſſeſſio a communi reputatione acquiſita eſt, ſint ex his, quæ a cõmuniter accidentibus eius naturæ ſunt, vt ex eis poſſet maioratus poſſeſſor, ſeu ſucceſſor probabilem ignorantiam contrariæ qualitatis oſtendere, & in minore hoc facilius admittendum eſſe probat *n.33.* nihilominus tamen, inquit, hæc omnia (cum caſus contigerit) exactius examinanda eſſe, propter maioratus inſtitutoris enixam voluntatem, qui ex præd. clauſula voluiſſe credẽdum eſt, ne maioratus ſucceſſio ad perſonas generis infecti deuoluatur, cuius voluntati prædicta aduerſari cõſtat, quamuis ex æquitate admittenda videantur, imo, & iuridico fundamento videtur tenendum ex *d. l. ſi quis pater.* iunctis ſupra adductis pro eis intellectu.

5 Illud † autem in propoſito dubitari poſſe contingit, antequam ad noſtram quæſtionem principalem deueniamus: *An prædicta prohibitio negatiua de non nubendo tali homini, vel ei, qui fuerit de genere Iudæorum, &c. adimpleatur prima vice, ita quod ſecunda, vel tertia vice poſſit perſona prohibita nubere, abſque priuatione legati, vel primogenii?* In quo prima inſpectione dicendum videtur, pro prima tantum vice intelligendam eſſe, atque ideo ſi prima vice nubat mulier permiſſo, poſtea vidua poſſit iterum, ac iterum nubere homini illius generis, alias prohibiti abſque legati, vel maioratus amiſſione, & idem in maſculo, cui eadem conditio iniuncta eſt. Primo, quia verba ſunt intelligenda pro prima vice. *l.boues. §. hoc ſermone. ff. de verb. ſignif.*

6 Et † ideo in conditione affirmatiua, ſi Titio nupſeris, intelligitur, ſi nupſeris prima vice, quia ſi nuberet prima vice

alteri, diceretur conditio defecta, ita vt licet, eo mortuo poſtea nuberet Titio, non reconualeſceret legatum iuxta gloſſam, verbo Nubendum, & ibi Dd. *in l.hoc genus. 105. ff. de condit. & demonſtr.*

Secundo per text. qui videtur expreſſus *in d. l. hoc genus.* vbi aliquando in conditionib. negatiuis, ſi Titio nõ nupſerit, inquit text. *in verſ. ſi.* quod alii nubendo nihilominus legatum conſequetur.

Nihilominus tamen ſecius, gloſſ. *in d. l. hoc genus* contrarium probat in conditione negatiua, nempe, vt ea nõ ſolum ſit accipienda de prima vice, ſed etiam de ſecunda, & tertia, & de quacumque alia, & ideo licet alii nupſerit, quia poſſet, illo mortuo, iterum nubere Titio, non poteſt conſequi legatum, niſi Titio mortuo, antequam ſibi nubat, quia plus negat negatio, quam affirmat affirmatio, quam gloſſam communiter receptam eſſe conſtat ex Alciato, *in d. §. boues. & Acoſta vbi ſupra, num.2.*

Ex qua inquit Oldrad. *conſ.16. n.1. & 2.* quod ſi teſtator vetet filiis, ne contrahant matrimonium, niſi cum filiis, nepotibus, affinibus, vel propinquis mercatorum, ſi primo contrahat cum ipſis, ſecundo vero cum milite, vel filia militis, amittit legatum, vel hereditatem ſic cõtrahens contra voluntatem patris, refert Paul. de Caſtr. *in d. l. hoc genus, num.4.* dicens, quod ſemel fuit recordatus de illo conſilio, & de gloſſa, quam citat Oldrad. & habuit honorem, & Iaſ. (licet corrupte eius literam referat) *in l. diuortio. § quod in anno. num.24. ff. ſolut. matrim.* Quare in noſtra quęſtione ſupra tacta *num.5.* idem tenendum cenſeo, quod præfata gloſ. *d. l. hoc genus in ſua,* cum ea expreſſa ſit in terminis noſtris, & communiter approbetur per Dd.

Nec obſtat primum fundamẽtum contrarium, quia illud eſt iam dilutum ex ſuperioribus.

Nec etiam ſecundum, quia iuxta gloſſam, & communem intelligitur mortuo Titio: non enim antea poterit conſequi legatum: licet enim Paul. de Caſtro & Acoſta tenẽt alio modo (& forte verius in puncto iuris) illum text. intelligere: attamen in iudicando non eſt a gloſſa recedendum, ſecundum eundem Paul. Caſtren. *vbi ſupra.* Denique text. ille loquitur, quando vna tantum perſona eſt prohibita; nos vero quando quoddam certum genus perſonarum: ideo nec ſecunda nec tertia vice poterit mulier illis nubere: durat namque ratio voluntatis teſtatoris, nempe, vt ſua familia ſemper nobilitetur & illuſtretur claro ſanguine, item propter tributa non ſoluenda.

7 Ad rem igitur, & ad noſtram quæſtionem principalem in particulari deſcendens, pars affirmatiua in ea
8 ſpecie probanda videtur. † Primo, quia paria ſunt ineſſe alicui qualitatem per naturam, ac ineſſe per priuilegium, ex doctrina Bald. recepti *in l.cum ex ratione. ff. de excuſatio. tutor.* quam agnoſcunt Dd. *in quæſtione præcedenti citati.*

9 Secundo, ex alia doctrina eiuſdem Bal. *in l. ſi filius. ff. ſi cert. petat.* vbi ponit regulam, dicens, quod vbi caſus verus & fictus æquiparantur, diſpoſitum in caſu vero locum habet in caſu ficto, *vt in cap. ad audientiam, & in cap. cum dilectus, de cler. non reſ. & d. l. cum ex ratione, Socin. conſ. 1. num.10. lib.1.* & declarat optime idem Soci. *conſ.260. n.9. lib.2. facit l. liberos. C. de collat.* vbi paria ſunt, quod quis de iure communi vel ex ſpeciali priuilegio admittatur: quod fundamentum latius exornat Mieres *de maiorat. 1. p. q.51. num.6.*

10 Tertio facit, quia omnis nobilitas procedit a Principe *ſecundum Alberic. in l. Imperatores. ff. de decurio. per tex.* ibi, refert plures idem tenentes Tiraq. *de nobil. cap.6. n.1. cum ſeqq.* & probatur *in ll. Regiis huius tit. & in l.5. cum ſeqq. tit. 21. p.2.* Ergo nobilis creatus a Principe per priuilegiũ ſatisfacit voluntati, & cõditioni teſtatoris, de qua agimus.

11 Quarto, quia filius legitimatus eſt vere legitimus ſecundum Bart. *in l. ſi is qui pro emtore, num.29. ff. de vſucap.* cuius opinio decem comprobatur fundamentis *Iaſ. ibi num.227. cum ſeqq.* & eſt vera, & communis concluſio *ſecundum eundem Iaſ. in rubr. num.9. ff. de liber. & poſthum & Deci. conſil. 258. num.4. late Tiraquel. in l. ſi vnquam, verbo Suſceperit liberos, num.77. C. de reuocand. donat. Pelaez vbi ſupr. num.8.* & cum Bart. in hoc omnes concordant, vt ex Paulo affirmauimus *in repet. l. nemo poteſt, num.334. ff. de legat. 1.*

Et in terminis noſtræ quæſtionis principalis hanc partem tenuit Greg. Lopez *in d. l.3. in gl. Con villana, tit.21. p.3.* pro qua faciunt deciſa in ſuperiorib. quæſtionib. huius libri, & deciſio Rot. Roman. Mohedani *34. de priuat.* vbi quod fuit per omnes dominos deciſum, ſtante ſtatuto Eccleſiæ, a Sede Apoſtolica confirmato, nullum admitti debere ad Canonicatum, & præbendam, niſi vere ſit nobilis ex vtroque parente, & natus nobilis, vt nobilis ex priuilegio admitteretur, eſſeq; habilem, ſufficientem, & idoneum ad Canonicatum.

12 His tamen non obſtantibus opinionem prædictam Gregor. Lopez veram eſſe minime putat Pelaez *vbi ſupra, num.9. cum ſeqq.* Quinimo contrarium tenet, & probat pluribus fundamentis, & ſic quod ſtante prædicta conditione prohibitiua, & præcepto de non contrahendo matrimonium cum plebeia, vel plebeio, ſed cum nobili, ſi prohibitus contrahat matrimonium cum nobili, hoc eſt *fidalgo de priuilegio,* minime ſatisfaciat voluntati, & cõditioni teſtatoris, ac proinde amittat legatum, maioratum, vel meliorationem. Et quidem. † Primo, 13
quia teſtatores, qui huiuſmodi præcepta, grauamina, vinculaque faciunt, grauando filios vel filias, nepotes, aut alios deſcendentes, ne matrimonium contrahant, niſi cum mulieribus nobilibus, maxime exoptant propriæ familiæ, & generationis augmentum, & conſeruationem, & quod indies creſcat tam in nobilitate, quam in diuitiis, & in aliis qualitatibus, nec ſolum reſpiciunt, quod deſcendentes grauati fruantur priuilegiis & præeminentiis nobilibus competentibus iure communi, & Regio, verum illud mirum in modum anxii, & ſoliciti curant, vt poſteritas eorum in infinitum ius ſanguinis habeant ex omnibus lateribus clarum ac perfectum, & incommutabile & quod quotidie magis illuſtretur: At omnia hæc ceſſant in nobili ex priuilegio, quinimo huiuſcemodi nobilitas apud nobiles ſanguinis vilipenditur, & exoſa eſt illis.

14 Secundo, quia genus ſanguinis emi non poteſt. *l.12. tit.21. p.2.* ibi: *El linage no ſe puede comprar;* ex qua l. inquit, ibi Gregor. Lopez *in gloſſ. verbo. La honra,* quod priuilegium generoſitatis conceſſum per pecuniam non valet, niſi derogetur illi l.12. Sed poteſt dici hoc nõ eſſe neceſſarium, quia lex illa non loquitur de priuilegio generoſitatis, hoc enim vendere Princeps iure ſuo poteſt, vt probauimus *in quæſtionibus ſuperiorib.* Sed de ipſo genere ſanguinis, quod quidem cum ſit immutabile, tanquã naturale, etiam cum renuntiatione illius legis vendi nõ poteſt: non enim vllo pacto effici valet, vt quod factum eſt, infectum fieri poſſit, aut quod eſt aliter factum ſit, *l. in bello. §. facta. ff. de cap. & poſtlim. reuerſ.* & naturalia iura per Principem quidem mutari non poſſunt. *§. ſed naturalia. inſt. de iur. nat. gent. & ciuil.* corroboratur hoc ſecundum fundamentum ex *d. l.3. tit.21. part.3.* ibi: *Fidalguia, ſegun diximos en la ley antes deſta, es nobleza que viene a los hombres por linage:* Ergo quomodo poteſt priuilegio iſthæc fidalguia eſſentialiter acquiri?

15 Nec dicatur, quod ſaltim effectus ipſius nobilitatis ſanguinis priuilegio Principis vendi, atque acquiri poſſunt, quamuis ipſum genus clari ſanguinis vendi nõ poſſit, vt dicebamus: hoc enim quamuis ita verum ſit, procedere tamen poteſt, quoad priuilegia, prærogatiuas, &

immunitates, ac præeminentias a Principibus, hoc eſt, legiſlatoribus conceſſis, & concedendis, & ſic ab ipſo iure ciuili. Secus tamen eſt, quoad qualitatem nobilitatis requiſitam a teſtatore, vel fundatore maioratus, vel meliorante, alteriusve hominis diſpoſitionis, qui tẽpore traditionis rei ſuæ poteſt quaſcumq; conditiones, modos, pacta, & grauamina apponere, ac cum eiſdem inuitare ad ſucceſſionem, dum tamen iuri non ſint contraria, eiuſq; voluntas ad vnguem, & in ſpecifica forma, atque in priori ſignificato adimplenda eſt in quantum poſſibile ſit, *vt infr. latius dicemus.* ne coarctemus liberam teſtandi facultatem a iure hominibus conceſſam.

16 Tertio, quia † negari non poteſt, quin in Republica magis habeatur ille, qui ex progenitoribus nobilis eſt, quam ille, qui cum ſua origine plebeius eſſet, Princeps eum nobilitauit: At quis dubitat proprie, & vere illum eſſe nobilem, qui pro tali communiter reputatur, habetur, & æſtimatur, a republica claro ſanguine maiorum in eum deriuato; *vt late probauimus ſupr. lib. 3. pract. quæſt. 14. num. 6. cum ſeqq.* Quinimo nobilis ex priuilegio communiter abhorretur, exoſuſque eſt apud bonos viros: Teſtator autem cum poſuit prædictum grauamen, & conditionem, potius reſpexit ad nobilitatem generis, quam ad eam, quæ priuilegio quęſita eſt: verba enim in dubio naturaliter, & non ciuiliter intelligi debent. *l. ex ea parte. §. inſulam ff. de verb. oblig. l. vlt. C. de his qui ven. ætat. impet. cap. ſuſceptum, de reſcriptis lib. 6. l. 1. §. qui in perpetuum. ff. ſi ager vecti. vel emph. per l. filio quem pater ff. de iniuſt. rupt. &c.* ibi: *ne imagine natura veritas obumbretur.* de qua regula late agit Iaſ. *in rubr. ff. de noui oper. nunt. Lucas de Penn. in l. vnica. C. de imponen. lucrat. deſcript. lib. 10. colum. 1. in prin. verſic. verbum potiſſima, & Tiraquel. in l. ſi vnquam, verb. Suſceperit liberos, num. 17. C. de reuoc. donatio. & de primogenitura, quæſtion. 1. num. 10. & quæſt. 84. num. 6. & libr. 1. de retract. §. 1. gloſſ. 11. num. 7. & lib. 2. §. 4. gloſſ. 6. & in teſtamentis. Mantica num. 15. in loco ſtatim citando, & num. 2. fol. mihi 261.*

18 Et † hoc eſt, quod alias, dicitur analogum per ſe ſumtum, ſtat in potiori ſignificato, quod in verbis teſtamenti, quod intelligantur in potiori ſignificato, probat *l. his verbis. ff. de hered. inſtit. & in l. qui liberis. §. hac verba. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit. Roman. in l. ſi in teſtament. num. 2. ff. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam. Mantica de coniectu. vltim. vo-*
19 *lunt. lib. 3. tit. 4. num. 14.* qui *num. 13.* † prædixerat verba teſtamenti generaliter prolata ex veriſimili mente debere reſtringi. *l. cum vir. & ibi Imol. num. 2. & Socin. Senior num. 2. ff. de condit. & demonſtrat.* Similiter, & rationabile inquit eſſe, vt verba teſtatoris reſtringantur ad rationabilem cogitatum, *ſecundum Bald. & alios quos refert.*

Sed hæc omnia militant in ſpecie noſtræ quæſtionis, pro hac ſecunda parte, vt patet, quia quantum ad perſonarum æſtimationem longe honorabilius eſt, *Ser hijodalgo de ſangre, que ſerlo de priuilegio,* tantum quantum
20 præſtat, & excellit qualitas naturalis accidentali. † Cum longe aliud ſit, quem eſſe talem, vel haberi pro tali. *l. mercis appellatione. ff. de verbor. ſignific.* vt latiſſime in terminis probat Otalor. *de nobilit. 4. part. cap. 1. num. 5. cum ſequentib.*

21 Quinimo † quando non conſtat de alio, quid ſenſerit teſtator, neque de alia veriſimilitudine, ſtandum eſt verborum propriæ ſignificationi. *l. 1. §. ſi is, qui nauem. ff. de exercit. actio. & l. non aliter. ff. de leg. 3. & ibi Bart. text. in c. humana, & ibi gloſſ. 22. quæſt. 5.* ita alios allegans tenet Simon de Prætis *de interpret. vltim. volunt. lib. 2. ſolutione 2. num. 247. pag. 252.* † Et verbum, quod communiter poteſt habere plures ſenſus, intelligi debet ſecundum proprium ſignificatum, vt ex pluribus iuribus probat Alberic. *in l. item in legato. in prin. num. 1. ff. de leg. 3. Imol. in l. legatis vxori. ff. de leg. 2. quos refert & ſequitur Simon de Pratis vbi ſupr. num. 262.*

Adeo, quod † ſi reperiatur verbum habens plures ſi- 23
gnificationes proprias, accipi debet in ea ſignificatione, quæ congruit ſubiectæ materiæ, & debet intelligi materialiter, & non ciuiliter, *ita Bart. in l. omnes populi. 6. quæſt. principali, num. 58. in verſic. iuxta præmiſſa. ff. de iuſtitia & iur.* & probatur *in d. l. fin. & ibi notant Bald. & alij. C. de his, qui ven. ætat. impetra. & alij plures quos congerit, & ſequitur Simon de Pratis. vbi ſupr. num. 253. cum ſeqq.* Ergo a fortiori in noſtra ſpecie conditio, vel præceptum teſtatoris de contrahendo matrimonium cum fidalgo, vel fidalga, vel nobili, cum verbum hoc, *Fidalgo, o noble,* poſſit habere duo ſignificata, nempe, *De ſangre,* & ſic de nobilitate naturali, & *de fidalgo noble de priuilegio,* accipi in dubio debet, de nobilitate, & fidalguia naturali, potius quam datiua ex priuilegio, cum illa ſit propria ſignificatio, & potior vocabuli, quam hæc datiua, quę eſt impropria nobilitas, illa propria, & naturalis. Sed eſto, quod vtraque ſignificatio eſſet propria: proprior, & naturalis eſt ſignificatio nobilitatis ſanguinis, quã illa quæ ex priuilegio acquiritur, & ſic ciuilis Accedat præterea mens certa teſtatoris, ſiue diſponentis, quæ in dubio, hoc eſt, alio non expreſſo, eſt, vt ſui deſcendentes, & ſucceſſores honorabilius contrahant matrimonia, & per hoc familia ſua, atque poſteritas indies condecoretur, atque vere, & naturaliter nobilitetur, præcipue cum apud graues & honeſtos viros plurimum diſtet vera nobilitas ab illa, quæ ciuilis, & ex priuilegio eſt, imo hæc apud eos vilipendio habeatur.

Quarto, quia verba teſtatoris debent intelligi ſecun- 24
dum vulgarem conſuetudinem loquendi, potius quam verborum propriam ſignificationem *l. librarius. §. quod tamen Caßius. ff. de leg. 3. late per Mantic. vbi ſupra, lib. 3. in 8. in princip. cum numeris ſeqq.* & ſecundum communem vſum loquendi, *late Simon de Pratis de interpret. vltim. volunt. lib. 2. ſolution. 2. in princip. cum numeris ſequentib. pag. 254.*

Inter has duas opiniones contrarias in quæſtione 25
principali ſupra fundatas, diſtinctionis fœdere vtitur D. Azeued. *in d. l. 1. num. 52. hoc titul. 1. lib. 6.* ſcilicet, quod ſi conditor maioratus, vel meliorans ſit nobilis ſanguine, intelligendum ſit, voluiſſe de illo nobili ſanguine, non vero de nobili ex priuilegio, ex adductis ab ipſo Pelaez *vbi ſupra, num. 21.* Si vero iſte teſtator, vel conditor maioriæ, erat alias plebeius, ſed nobilis ex priuilegio, tũc vtique credit veram eſſe opinionem Gregor. Lopez, & hoc modo conciliat prædictas opiniones contrarias. Et
facit pro eo, † quia verba debent intelligi ſecundũ con- 26
ditionem teſtatoris, Mantic. *de coniect. vlt. volunt. lib. 3. tit. 5. per totum, & lib. 6. tit. 10. num. 11.* Et ſecundum ſtatum, & conditionem eiuſdem gloſſ. fin. *in l. fin. ff. de iur. deliber. late Simon de Prat. lib. 2. de interpret. vlt. volunt. ſolut. 2. num. 302. pag. 253.* faciunt etiam tradita per Mantic. *vbi ſupra, lib. 11. tit. 9. num. 15. fol. 265.* vbi reſoluit, quod & ſi ex dignitate, & nobilitate teſtatoris eliciatur coniectura voluntatis, quod teſtator non videatur ſenſiſſe de liberis naturalibus tantum, hoc tamen non procedit, ſi ipſe teſtator fuit naturalis tantum: nam quamuis aliqua dignitate fuerit decoratus: tamen liberi naturales tantum faciunt deficere conditionem, quia teſtator de ſibi ſimilibus videtur cogitaſſe.

Quid † tenendum in re adeo controuerſa, atque in 27
praxi ſæpiſſime contingibili? Ego quid de ea ſentiam plane exponam: Mea namque ſententia eſt, vt in puncto iuris, & etiam in praxi tenenda ſit ſecunda opinio præd. Pelaez indiſtincte, nempe, vt conditioni, & præcepto teſtatoris de quo agimus minime pareatur, contrahendo matrimonium cum nobili ex priuilegio, niſi hoc expreſſerit teſtator, ac proinde contraueniens, hoc non expreſſo, licet contrahat matrimonium cum nobili ex priuilegio priuetur ſucceſſione maioratus, legati vel

vel meliorationis ſub prædicta conditione relicti ex fundamentis pro hac parte ſupra adductis, quæ meo iudicio ſunt vrgentiora, & magis conformia menti, & voluntati teſtatoris, ſiue diſponentis, quæ eſt omnino ſeruanda, & pro lege habenda, *vt in authent. de nuptiis. §. diſponat. coll. 4. & in l. in conditionib. in princ. ff. de condit. & demonſtrat. cum plurib. ſimilib.* quæ iura ſummam libertatem tribuunt, atque concedunt teſtatoribus, vt quomodo
28 voluerint, diſponant de rebus ſuis, & ſua voluntas ſeruetur; † Hinc eſt, vt voluntas teſtatoris inducat formã, & conditionem, *ſecundum Bald. in c. cum in veteri, col. 1. in*
29 *princ. de collat.* quem † refert, & ſequitur Tiraquel. *in l. ſi vnquam, verbo Libertis, num. 52. C. de reuocand. donat.* † Pleniſſima enim fuit illa indulgentia, quam iura teſtatoribus conceſſerunt, *vt late probauimus in repetitione l. nemo*
30 *poteſt num. 3. ff. de leg. 1.* vbi *num. 4.* † addimus ex Bal. quod lex vadit pedetentim poſt mentem teſtatoris, ſicut ve-
31 nator poſt leporem, & *num. 5.* † quod facultas hæc, & libertas, quæ debetur defunctorum vltimis voluntatib.
32 magis accedit iuri naturali, † quam ſucceſſio filiorum, & tempore traditionis rei ſuæ poteſt quis apponere cõditiones, præcepta, & grauamina, quæ voluerit, dummodo non ſint iuri contraria, vt *in l. traditionib. cum ſimil. ff. de pactis, diximus late conſil. 1. num. 1. & conſil. 2. num. 1.* Et ideo in terminis noſtris valida eſt prædicta conditio, & præceptum tenet, *vt in principio huius quæſtionis probauimus:* Sed de mente teſtatoris, ſiue diſponentis in propoſito, alio non expreſſo, eſt, vt intelligere voluerit de nobilitate, & fidalguia naturali ob rationes & fundamenta huius ſecundæ partis ſupra adducta: Ergo ipſa tenenda, & ſequenda eſt.

33 Præterea, cum voluntas teſtatoris inducat formam, & conditionem, & præterea expreſſe apponatur prædicta conditio, conditiones huiuſmodi ſunt adimplendæ in ſpecifica forma, & non ſufficit, eas adimpleri per æquipollens. *l. Mæuius. & in l. qui heredi. in princ. ff. de cond. & demonſtrat. text. in auth. matri & auiæ, vbi Bald. & communiter ſcribentes notant. C. quand. mul. tut. offic. fung. poſſ.* eſt commun. opin. *ſecundum Anton. Gomez. 1. tom. variar. c. de Legat. n. 76.* vbi late exemplificat. & Doctor Molin *lib. 2.*
34 *de Hiſpan. primog. cap. 13. num. 30. in fin.* † Denique verba conditionis ſunt ſecundum rigorem ſignificationis, & conceptam formulam intelligenda niſi ex mente teſtatoris, vel contrahentis, a quo dicta conditio, poſſit ipſa conditio vere adimpleri per æquipollens, ita vt idem ſequatur effectus, quemadmodum frequentiſſime probant Bart. & Doctores *in l. Gallus. §. & quid ſi tantum. ff. de lib. & poſthum. teſte D. Couarr. in Pract. Quæſtio. c. 29. num. 7.* vbi late eam iure probat. Sed in noſtra ſpecie mens, & voluntas teſtatoris, vel diſponentis eſt, quam prædixi-
35 mus. Igitur &c. † Præcipue cum formaliter adimpleri poſſit cõditio, quia alias ſufficeret, quod virtualiter impleretur ex mente defuncti, *ita Iaſ. per tex. ibi. in l. huiuſmodi. §. ſi ita, num. 8. ff. de leg. 1.*

Et hac opinione retenta, non obſtant fundamenta contraria: illa namque militant, ac procedere poſſunt quo ad eas prærogatiuas. priuilegia & exemtiones, quæ a iure ciuili conceſſa ſunt nobilibus: illis enim gaudebit nobilis priuilegio, quia quoad ea paria ſunt ineſſe alicui qualitatem per naturam, vel priuilegium, beneque
36 tunc æquiparantur caſus verus & fictus: † Poteſt enim Princeps effectus conceſſos a iure ciuili nobilitati concedere, & extendere ad ignobilem, eum nobilitando priuilegio & in hunc ſenſum nobilitas dependet a Principe. ſecus quoad conditionem, vel præceptum teſtatoris, vel alterius diſponẽtis de bonis ſuis, quibus habetur, quod ſucceſſor contrahat matrimonium cum nobili, hoc eſt, *Con hidalgo, o hidalga,* quia cum ſecũdum mentem diſponentis debeat intelligi de nobilitate naturali, Princeps qui plebeium nobilitauit, quo ad omnes iuris effectus nõ cenſetur eum adeo nobilem efficere, vt contra voluntatem, & claram mentem diſponentis admittatur ad eius ſucceſſionem, qui vere ac naturaliter fidalgus non eſt, nec fieri potuit, ſed tantum datiue, quo ad iuris ciuilis effectus.

Nec obſtat, quod verba teſtatoris, & legum condito- 37
ris, eundem recipiant intellectum quoad verborum interpretationem, quem verba legis, cum diſpoſitio teſtatoris ſit lex, vt probauimus & *in l. ſeruus. ff. de manumiſſ. & in l. cum quidam. verſ. quemadmodum. C. de verb. ſignific. & notant poſt Dynum, Bald. Angel. & Imol. in l. ſi quis legauerit Titio. ff. de leg. 1.* & alios referens, bene probat Mantica *de coniect. vltim. volunt. lib. 3. tit. 4. num. 16.* Hoc namque intelligitur, quando ſubeſt eadem ratio, vt declarat Socin. Iun. *conſil. 39. num. 41. volum. 3.* Et cum eo Mantic. *vbi*
ſupra illud addens, † multo facilius extendi verba legis, 38
quam teſtatoris ex Alciato *in l. 1. num. 45. ff. de iuriſd. omn. iud. & in l. Gallus, §. inſtituens. n. 21. & 22. ff. de lib. & poſthum.*
Idque † præcipue procedit, quando per legem viuam 39
extenduntur verba legis: † cum eius ſit interpretari imo 40
& extendere, ampliare & limitare, cuius eſt cõdere, cum poſſit corrigere & in totum abrogare leges, vt patet. Nõ obſtat deciſio Rotæ Mohedani ſupra relata, quia nullo iuris fundamento, neque aliqua auctoritate illud ibi probatur.

Non obeſt illud de legitimato, quod ſit vere legitimus, quia contrarium eſt verius, *vt latiſſime ex iurib. probat D. Molin. de Hiſp. primog. lib. 3. c. 3. n. 5. cum ſeqq.* & prius probauit Iaſ. *in d. l. ſi is qui pro emtore, num. 25. 4. cum plurib. ſeqq. ff. de vſucap.* & refert plures huius opinionis auctores, Tiraq. *vbi ſupr. num. 96.*

Ex præcedentibus reſoluo primum, quod ſi condi- 41
tor maioratus vel meliorationis cauerit, quod eius ſucceſſores non contrahant matrimonium cum plebeia, vel plebeio, ſed cum generoſo vel generoſa. hoc eſt nobili, vel hijodalgo, &c. Si addiderit de ſanguine vel de genere, proculdubio id in ſpecie debet impleri ſub pœna priuationis, quia clara eſt voluntas diſponentis.

Secundo. Idem eſſe dicendum, etiamſi illud de ſan- 42
guine, o de linage non adiecerit ex fundamentis ſupra pro 2. par. veriori, & tenenda adductis.

Tertio. Hoc ſecundum præcipue procedere, ſi con- 43
ditor maioratus, vel meliorationis nobilis ſanguine ſit, ne ſuum ſanguinem deteriorem faciat, ex omnibus in hac ſpecie adductis per Pelaez *vbi ſupr. num. 12. cum ſeqq.* qui non ideo contrarium probat aut tenet in teſtatore nobili ex priuilegio: ſed maiori ratione procedere. Hoc tertium in conditore nobili ex ſanguine fundat, quaſi tunc credendum ſit, odio habuiſſe eos, qui non ſint eiuſdem generis.

Quarto. Idem probo, contra Azeuedo in nobili ex 44
priuilegio, ſub prædict. conditione, aut præcepto diſponente ex dictis pro 1. parte, quæ & in hac ſpecie quidem vrgent quaſi nobilis ex priuilegio, idem credendum eſt voluiſſe in prædictis verbis, tanquam homo
prudens, vt ſanguinem ſuum puriorem efficiat: † Nec 45
obſtat, quod verba teſtatoris, ſecundum eius conditionem & ſtatum varie pronunciata debeant intelligi, vt prædiximus & Mantic. Simon de Prætis & gloſſ. fi. *in l. fin. ff. de iur. delib.* Nam vt ex Mantic. *vbi ſupr.* conſtat, loquitur in perſona teſtatoris, an fuerit peritus, vel imperitus, & latius de hoc per ipſum, *lib. 3. tit. 5. per tot. præcipue n. 7.* vbi quod ſi fuerit literarum imperitus, ſumitur probabilis coniectura, vt recedatur a propria verborum ſignificatione. Hoc autem diuerſum eſt a noſtra quæſtione, in qua non agimus de ſonitu verbi, *nobilis*, ſeu fidalgui, qui clarus eſt, ſed de voluntate, de quo nobili ſenſerit, & in dubio de potiori, & vero nobili intelligendum eſt ſenſiſſe, quia vnuſquiſq; naturaliter ſiue literarum